



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Fasc. 4

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1723

urn:nbn:de:gbv:46:1-5825

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Septimae

FASCICULUS QUARTUS.



B R E M A E,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXIII.

VIRO
clarissimi nominis
ALBERTO
SCHVLTENS,
SACRARVM LITERARVM
DOCTORI,
& *Philologiae sacrae* in illustri, quae
inter *Frisios* floret,
ACADEMIA PROFESSORI P.
ordinario, & in templo
Academico ORATORI sacro,
omnibus literarum elegantiorum prae-
sidiis atque ornamentis instru-
ctissimo, &
Orientalium linguarum decus cum
oppido paucis egregie
tuenti.

Quadragesimum hunc

BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM,

Ut animum illi addictissimum significem, & si pote, promptam lucubrationum, quibus linguae sacrae vicinisque splendendam lucem largiter adpersurus est, editionem, precibus meis abs eo eliciam,

ceu publicam observantiae meae & amicitiae syngrapham,

inscriptum esse volo,

EDITOR.

In hunc fasciculum alligata sunt
sequentia.

- I. Jo. Rudolphi STERKII dissertatio in locum GAL. III: 20. p. 585.
- II. Isebrandi Eilhardi HARKENROTHII de פדפד ad locum Ezech. I: 4. Diff. p. 601.
- III. Jo. Gotthofredi LAKEMACHERI ad locum Rom. VII: 19-24. Observ. philol. p. 617.
- IV. Jo. Christ. HARENBERGII vindicatio Israelitarum a furto & dolo in Aegypto commisso ad Ex. XII: 35. 36. p. 624.
- V. Ejusdem de Vento in meridie noxio ad illustrandum Ps. XCI: 6. Observatio p. 630.
- VI. Justi Martini GLAESENERI de EURO Palaestinae nocivo Exercit. p. 637.
- VII. Jo. Georgii SCHELHORNII de Baptismo pro mortuis ad 1. Cor. XV: 26. Exercit. p. 649.
- VIII. Succincta & genuina FORMULAE CONSENSUS Helvetiae historia p. 669.
- IX. Les tres merveilleuses victoires des femmes Du nouveau monde par G. POSTEL. L. R. pag. 702.
- X. Biga Epistolarum ineditarum Frid. MYCONII ad Justum JONAM p. 729.
- XI. Nova historico-Theologico-literaria p. 734.
- XII. Catalogus Librorum à Reformatis editorum BELGICE continuatus p. 757.



I.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ!

Johan. Rodolphi **STERKII**,
 V. D. M. in ditione Ber-
 nensi **Dissertatio Philo-
 logico Theologica,**
in locum GAL. III: 20.

Etsi verissimum sit S. Scripturam non doctis, sed vulgo scriptam, ideoque populari modo intelligendam, utque recte percipiatur in ejusque intima penetralia perveniatur, non tam necesse eruditum, quam pium esse: Habet tamen & eruditio aliquid laudis, si Deo sanctificata sensum ejus litteralem planiorem reddit; Maxime, quum S. Scripturæ quam plurima insint, olim quidem vulgo nota, tot vero intercedentibus seculis oblitterata, & a moribus nostris aliena, quæ Lectorem re-
 Class. VII. Fasc. IV. P p mo-

morari possint; in hunc Censum haud dubie redigendus Apostoli locus ad Galatas Cap. III. commate vicesimo. ὁ δὲ μεσίτης ἐνὸς καὶ ἓστιν, ὁ δὲ θεὸς εἷς ἓστιν. Qui diu & multum vexavit Doctissimos Interpretes. In cuius explicationem aliquid proferre institui, quo successu iudicent alii. Institutum vero meum nequaquam eo tendit, ut Clarissimorum Virorum Interpretationes hic proferam, minus redarguam, sed sententiam meam simpliciter proponere, astruere, & ex enarratione contextus Apostolici a vers. 15. usque ad 20. incl. confirmare, mihi propositum est.

De Lege Mosaica, sub notione Testamenti considerata, aperuit per manum Mediatoris latam fuisse, at non ἀμεμπτον exstitisse ex Mediatoris sui qualitate probat, Mediator enim non est unius, inquit, & est, quasi diceret, μεσίτης verus & qui omnem functionis suæ numerum absolvit, unius tantum gentis non est, sed omnium; promissio enim Abrahamo facta, continet omnes gentes, dicit enim ὅτι εὐλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη comm. 8. hujus Capituli; non unius seminis tantum, sed παντὶ τῷ σπέρματι, & ἰῶ ἐκ τῆ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ Rom. IV: 16. verbo debet esse μεσίτης ἕχ ἐνὸς, ἀλλὰ κοινὸς ἀμφαῖν. At hoc Christi Ministerium, ut ita dicam, non vero Mosis efficit. Ille igitur verus μεσίτης, & id imprimis, omni

omni data occasione ferè in omnibus suis
 epistolis inculcat D. Paulus, vide Eph. II: 15.
 16, 17; Assertionis suæ ratio, quam addit,
 Apostolus, egregia est, dicit enim ὁ δὲ θεὸς εἷς
 ἐστίν. Non ergo alius Judæorum, alius gen-
 tium Deus, sed unus idemque & omnibus ex
 æquo talis: Is ergo demum verus μεσίτης
 qui omnes sine discrimine ἀποκαταλλάξῃ ἐν
 ἐνὶ σώματι τῷ θεῷ Eph. II: 16. Cum sententiæ meæ
 Patronum quærerem, nec invenirem, com-
 modum occurrebat Gennadius cit. a cel.
 Coccejo in particulari Dissert. in h. l. quam-
 vis illum, sed frustra, in suam sententiam
 trahere conabatur, verba ejus ita se habent
 λέγει τίνυν ὅτι Μωσῆς μὲν ἐμεσίτευσε πρὸς τὴν
 δόξιν τῶ νόμου, ἀλλ' ἐνὶ μόνον ἐμεσίτευσεν ἔθνη. δεῖ
 δὲ τὸν ὡς ἀληθῶς μέλλοντα μεσιτεύειν πρὸς τὸν τῶν
 αἰπύλων ἔθνῶν ἕνα θεόν, ἔχ' ὑπὲρ ἑνὸς ἔθνους ἀλλ'
 ὑπὲρ πάντων κοινῇ τὴν μεσιτείαν ποιήσασθαι. ἐπειδὴ
 ἢ πάντων ἔθνῶν εἷς ἐστὶ θεὸς &c.

Jam defunctus videri possem, nil enim oc-
 currit, quod meditationem meam gravare
 possit, in hac enim, quam protuli, expo-
 sitione, omnia sic satis clara & scopo Apo-
 stoli imprimis apposita. Verum enim vero,
 si ingenue agere volo, non possum inficias
 ire, Apostolum, mea hac expositione ad-
 missa, videri minus commode animi sensa
 protulisse, quod tamen ipsi, quantum ego
 judico, nunquam accidit. Expendamus enim,
 prout sonant verba, *Mediator, inquit, non est*

unius, verissimum, Mediatori enim incumbit, duos vel plures litigantes, vel alias dissidentes, conciliare; At id egregie præstitisset Moses, ille enim illo tempore stabat inter Dominum & Israelem Deut. V:5. Hæc itaque assertio nequaquam feriret judæos, nec id intendit Apostolus, interim tamen verba ejus prout concepta sunt, hunc sensum primario postulant, Quocunque igitur quis severtat, verba illa *Mediator enim non est unius, Deus enim est unus*, minus commoda oratio videtur ad id significandum quod Paulus intendit, & tamen optimus scripturas interpretandi Canon hic mihi semper visus fuit, tunc demum nos genuinum Spiritus S. sensum affecutos esse, si quem inde elicimus sensum, cum Scripturæ verbis ita congruat, ut neque nos neque alii aptioribus verbis illum exprimere possimus. An ergo alia Interpretatio commodior forte? nequaquam, omnes enim quotcunque a Doctissimis Viris hucusque prolatae fuere, majoribus adhuc difficultatibus premuntur, quod nullo negotio demonstrari posset.

◦ Eo igitur enitendum est, ut cuivis pateat D. Paulum non solum verbis quam optime conceptis, sed etiam vulgo notis, scripsisse, quod ita efficio. Statuo igitur Moſen in hoc loco, illo Mediatoris titulo ornari, non simpliciter, prout Mediator est ille, qui inter dissidentes pacem conciliat, sed sub relatione

μεσίτη τῆς διαθήκης, prout ipsi opponitur
 Christus, qui sæpe κρείττον & διαθήκης μεσίτης
 & κρείττον & διαθήκης ἑγγυ & Hebr. VII: 22.
 vocatur, respectu nimirum ad Testamenta &
 non ad fœdera, ut ex Hebr. IX: 15. 16. pa-
 lam est. Respicit ergo ad aliquem ritum fo-
 rensem & Testamentarium, nisi dicere ma-
 limus Apostolum voce illa διαθήκης lusisse;
 Restat ut inquiremus, quis in Testamentis ci-
 vilibus μεσίτη personam sustinuerit: Tunc
 temporis vero apud Romanos Orbis Domi-
 nos Testamenti genus in usu erat, quod per
 familiæ mancipationem fiebat, cui æs & li-
 bra adhibebatur. Erat autem quasi hæredi-
 tatis venditio, quæ libripende, Familiæque
 emptore adhibito & quinque testibus præ-
 sentibus agebatur; Familiam enim, id est he-
 reditatem Testator mancipabat imaginario
 emptori, qui ob hoc familiæ emptor dice-
 batur, & ob id Testator ab Emptore num-
 mum dicis causa accipiebat, uterque etiam
 certis utebatur verbis. Imaginaria vero erat,
 illa familiæ mancipatio, nec enim heredita-
 tem familiæ emptor solus obtinebat. Vide
 Briffonium in Formul. lib. VI. p. 654.

His igitur notatis, proclive est judicare
 Familiæ-Emptorem quasi μεσίτην τῆς διαθήκης
 fuisse; Ipsi enim familia mancipata, ipsi in-
 junctum, quid quivis heredum ex Testamenti
 dispositione possidere debeat, ita enim Theo-
 phil. J. C. in Tit. de Testament. lit. a. Brisso-

νιο, καὶ λοιπὸν ὁ μέλλων τελευτᾶν διέτυπεν τὴν οὐκ
 εἶλε δοθῆναι μετὰ τὴν αὐτῆς τελευτῆν. ἔλεγε γάρ, τῷ
 Φαμιλιέμπωρε, ἢ τῷ κληρονόμῳ, ὅτι βέλομαι σε
 τῷ δὲ δῆναι ἀγρὸν, τῷ δὲ οἰκίαν, τῷ δὲ ἑκατὸν νομισ-
 ματα. Mediante etiam ipso heredes adibant
 hereditatem, ipse igitur quasi stabat inter pa-
 trem familias & familiam, solutoque pretio
 caput ejus evadebat. Sub hac etiam μεσίτη
 notione Familiae emptorem, Clemens Alex.
 Strom. lib. V. consideravit, agens de solem-
 nibus horum Testamentorum, καρπισμοί τε
 καὶ αἱ τῶν ὄλων ἐπιψεύσεις, i. e. mancipatio-
 nes, inquit, & aurium prehensiones, s. le-
 ves atrectationes, fiunt, ὅπως ὁ παρετυχωῦν
 (nim. familiae emptor, cum enim intelli-
 xisse verisimile penitus inspicienti fiet) ὡς
 βάρυς πνὸς αὐτῷ ἐπιπτεμενε, ἐσὼς ἀκύση, καὶ σί-
 ξιν μεσίτη λάβη.

Quam bene autem hæc persona Mosis, &
 adhuc melius Jesu Christo Domino nostro
 conveniat, quam egregia intercedat similitu-
 do inter redemptionis ejus Actum, & Testa-
 mentarium hunc ritum, ex dicendis, palam
 erit. *Paterfamilias* & omnium spiritualium
 bonorum Possessor est Deus Pater Jac. I: 17.
as est pretium quod Dominus noster solvit,
 pretiosus nimirum ejus sanguis, *Libra* vel
Libripens est Lex & divina justitia, cui ad amuf-
 sim dominica satisfactio respondere debebat:
Familiae Emptor, Dominus noster J. C. qui soluto
 αὐτῷ caput Ecclesiae, quæ est Dei familia 1 Tim.

III: 15. & Dominus peculii, imo propter hanc novam relationem Testator ipse quasi factus, cujus interveniente morte Testamentum ratum fieri Hebr. IX: 16. commode dici potest: & quia Fam. Emptor ordinarie non solus heres, ideo credentes Dei heredes & Christi coheredes dicuntur. Rom. VIII: ne jam ad vitandam prolixitatem alia & plura, quod tamen facile esset, adducam.

Nisi etiam hanc hypothese[m] admittamus cum Cl. Clerico (in Hammondi T. ad Heb. IX. 16.) fatendum erit *Testamenta non indigere Mediatoribus*, & *haec omnia habenda esse quasi merum lusus hominis Hellenistae*, qui quia videbat διαδίκην dici id pactum cujus Christus Mediator est, quae vox Testamentum quoque significabat & mortuum esse Christum, hinc consuetaria duxisse vera quidem illa, si in se spectentur, sed hic ex infirmis principiis deducta, potius ad ornandam orationem, more illius aevi, quam ad incredulos judeos vi ratiocinationis ad fidem Christo habendam adducendos. Judicium, si quod aliud, divinis libris injuriosum, & viro docto indignum!

Semel vero admissa hac hypothese, omnia clara, facilisque Apostolici dicti Gal. III. 20. expositio, versu enim 19. asseruit, V. Testamentum factum per manum *μοισης*, nimirum Mosis, qui in illa solennitate Familiae Emptoris personam sustinuisse; At Familiae emptorem non esse unius, scil. partis familiae tantum, sed totius, quod verissimum:

addit, Deum enim esse unicum illum Patrem-
 famil. ἕξ ἡ πᾶσαι πατριαὶ ἐν ἑρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς
 ὀνομαζέται Eph. III. 15. ad ejus familiam) per-
 tinere ex æquo Judæos & Gentes Rom. III: 29.

Ad secundam jam hujus dissertationis par-
 tem accedo, quæ in enarratione textus Apo-
 stolici a vs. 15-20. occupata est. Totus in eo est
 D. Paulus ut demonstret neminem ex lege
 justificari, quod variis jam in hoc III. Cap.
 probavit argumentis, in hac vero nostra se-
 ctione novo argumento id evincit, ex natu-
 ra promissionis Abrahamo & ejus semini sti-
 pulatæ, deducto, quam Testamenti robur
 omnino habuisse contendit, proinde a lege
 post aliquod temporis, intervallum demum
 accedente, non posse nec debere irritum
 fieri vs. 15. 16. 17.

Vs. 15. Fratres, secundum Hominem dico,
 Hominis licet Testamentum, si sit sancitum,
 nemo rejicit, aut superaddit aliquid.

Habemus hic allocutionem Apostolicam
 & argumenti protasin; ἀδελφοί, humanissi-
 me jam compellat Galatas, quos vs. 1. 2. ἀναή-
 τως inconsideratos & fascinosos appellasset:
 haud dubie ut eos reducat ab sanam mentem.

D. Julius seditionem exercitus verbo uno com-
 pescuit, quirites vocando, qui sacramen-
 tum ejus detrectabant. Tacit. Ann. Lib. I.
 Cap. 42.

Κατὰ ἄνθρωπον λέγω i. e. ad morem homi-
 num loquor, secundum id quod inter homi-
 nes

nes usitatum est. Ead. phrasis occurrit 1. Cor. IX: 8. μή κατὰ ἄνθρωπον, ταῦτα λαλῶ; numquid secundū hominem hæcdico, prout inter homines in usu est, & 1. Cor. XV: 32. εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθρομάχομαι, si more humano, quemadmodum inter homines fieri solet, cum bestiis pugnavi. Docet igitur Paulus se sublimia & cœlestia verbis, a negotiis & ritibus humanis petitis depingere velle.

Ὁμοίως ἄνθρωπος κεκυρωμένην διαθήκην, sermonem facit de Testamento hominis ratificato, docens sub qua relatione Dei promissiones considerandæ; Testamentum ratificatum est, quod omnia Testamenti solennia habet; omnes nationes suprema sua Testamentis ordinabant, de solis Germanis, Tacitus. *Heredes successoresque sui cuique liberi: & nullum Testamentum. de morib. Germ. c. XX.* Quodvis Testamentum habebat sua solennia, saltem testes. Testamentum ita munitum

ἔδειξέ αἰτεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται, vulgo notum est illud Pauli, non Apostoli sed Jcti, publice expedire suprema hominum judicia exitum habere. Firma igitur hominum Testamenta, quid inde? applicatio ad Dei promissiones.

Vl. 16. Sed Abrahamo dictæ sunt promissiones & semini ejus respicit ad vl. 8. h. e. ὅτι εὐλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη, quæ promissio integre, distinctis dictis in unum coacervatis, ita se habet, *in te & semine tuo benedicen-*

tur ac benedicent sibi omnes gentes, ac familiae terrae,
 per hanc promissionem Abrahamus κληρονό-
 μος τῆς κτίσεως factus erat Rom. IV: 13. Te-
 stamentarias autem esse has promissiones
 ex eo patet, quod ex ultimo & immutabili
 Dei provenerint decreto, deinde quod con-
 tineant heredes & hereditatem; ostendit
 igitur Apost. Abrahamo in semine ejus i. e.
 Christo hereditatem mundi vel gentium da-
 tam esse: de Christo autem agi, ita probat.

ὅτι λέγει τοῖς σπέρμασιν, non dicit & semini-
 bus, quasi de multis, sed de uno, & semini-
 tuo, qui est Christus.

Nomen seminis est collectivum, nec id ne-
 gat Apostolus, semen enim Abrahami
 est vel semen Author benedictionis,
 vel exemplar benedictionis, prius est
 Christus, posterius Israel Act. III: 25. sed non
 sine gravissima ratione nomen seminis ad
 unicum illum reducit, in eo enim solo com-
 plementum promissionum in solidum Abra-
 hamus nactus est, in eo solo, exclusis omni-
 bus Abrahæ filiis, benedicto ad omnes, gen-
 tes ac terræ familias pervenit: alias enim
 alia ductus ratione παντὶ τῷ σπέρματι Rom. IV:
 16. promissionem vindicat.

Nemo vero sibi cum Hieronymo male per-
 suadeat, Apostolum hic argutias nectere, no-
 men seminis ad unicum Christum restringen-
 do, verba enim promissionis ita concepta
 sunt, ut si sit unum semen vel unus filius, in
 quo

quo promissio adimpleta, & in quo benedictio sit tanquam in causa, is revera per id semen intelligi potest: quod LXX. Interpr. non latuisse videtur, qui Gen. III: 15. τὸ σπέρμα τῆς γυναικὸς ad unicam referunt personam vertentes αὐτὴς σε τηρήσει κεφαλὴν; vel ut alia editiones αὐτὴς τηρήσει σοι κεφαλὴν, neutrum genus in masculinum mutant.

Cum Testamento quo Abraham & Christus heredes nuncupantur, jam confert legem.

VI. 17. Hoc autem dico Testamentum ante ratum factum a Deo in Christum.

Testamentum dicitur ante ratum factum, nimirum antequam lex veniret, quia, ut optime Theologi notant, propositum Dei de hac re est ἀμετάθετον & immutabile. Hebr. VI: 17. deinde quia habebat ratificationis solemnia, 1. nempe publicationem per promissionem sæpe iteratam, 2. per fidem adstipulantem ejus cui promissio dabatur, per quam promissio libera & voluntaria, in vim pacti omnino transit: ratificatum vero fuit in Christum quia in eo & per eum demum, omne suum complementum obtinere debuit. Optime ergo concludit.

Lex quæ post quadringentos & triginta annos extitit, non facit irritum, ad abolendam promissionem.

Per legem intelligit, non fidei & pœnitentiæ legem, quæ ante extitit, sed cærimoniam

lem

lem, quæ promissioni appositæ, ita ab ea distinguitur, ut ei possit opponi: extitit enim demum post 430. annos. Promissionis Epocham Abrahami profectioem ponit de qua Gen. XIII: 5. Idem temporis spatium & a Mose designatur Exod. XII: 40. *Habitatio, inquit, filiorum Israel fuit quadringentorum & triginta annorum; sed est manifesta synechdoche, quam LXX. Interpr. pulchra explicatione sic reddunt: ἡ δὲ μετοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρέκνησαν ἐν γῆ Ἄιγύπτῳ (καὶ ἐν γῆ Χαναάν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν.) ἔτη τεσσαρεκκῶσι τετρακοντα,* notatur enim hic peregrinatio æque ac servitus.

Lex igitur hæc, post tantum temporis intervallum ἔκ ἀκυροῦ non facit irritam, (ἢ ἐπιδιατίσσεται) abolendam promissionem. At hoc accideret, lege enim stante, promissio complemento suo defraudaretur. 1. Respectu Christi, sub lege habebat suos quasi **כְּרִיב** παρέδρας Ps. XLV: 8. erant ibi præter ipsum **לְשׂוֹמ** dominatores, **קִרְבָּנ** legislatores, **שֹׁפְטִים** iudices, Rabbi, ἄρχοντες, κύριοι, διδάσκαλοι, πατέρες, Tutores, Παιδαγογοί, imo Dii dicti, omnes scilicet in cathedra Moysis sedentes, qui audiendi erant Matth. XXIII: 3. Cum tamen ipse solus, vi promissionis, debeat esse *Rex, iudex & legislator* Ecclesiæ solus *Doctor, solus Dominus*. 6. Porro lex habebat sua privilegia, suas justitias, εἶχε μὲν ἡ πρώτη (supple διαθήκη) δικαιοματι

ματι, Hebr. IX: 1. 10. cum tamen promissio Christum omnis benedictionis, omnis justitiæ, unicum Auctorem agnoscat & deprecet. 2. Respectu Israelis, a. lex eos tenebat sub maledictione vs. 13. h. c. proinde arcebat eos, sua natura, ab omnibus benedictionis effectis. vs. 14. h. c. Gal. IV: 3. 5. b. bona ad quæ vi hujus legis aspirare poterant erant tantum typica, imo κοσμικα' Hebr. IX: 1. erat terra Canaan, ne ipsis quidem Judæis, ne dum omnibus gentibus, sufficiens. 3. Respectu gentium aliarum lex erat τὸ μεσότοιχον τῆς φραγμῆς; Eph. II: 14. quod eas μακρῶν arcebat, cum tamen & ad eas benedictio pertineret. Sed cum judaizantes forte hæc minus intelligerent, unicum urget, quod etiam ad eorum convictionem quam aptissimum est. Syllogistice autem ratiocinatur.

Vs. 18. *Si enim ex lege est hereditas, tunc non ex promissione. Atqui Abrahamo per promissionem largitus est Deus.*

κληρονομία significat id quod Abraham ex Testamentaria dispositione obtinuit, nimirum promissionem; in te & tuo semine benedicentur gentes, quam κληρονομία τῶ κόσμου factus est. Si igitur vi legis, per ejusque servationem adeunda est, & ipso facto, illa stante, hereditatem consecutus est, tunc non vi promissionis divinæ, nec vi fidei suæ ad stipulantis, imo potius hac ratione κενώτης ἢ πίστεως, καὶ κατήρηται ἡ ἐπαγγελία, Rom. IV:

14. promissio enim dat gratis, & fides accipit gratis data; lex vero jubet operari, postulatque mercedem ἡ κατὰ χάριν αἰδου κατὰ τὸ ὀφείλημα Rom. IV:4. At jam vs. 6. h. c. Apostolus ex scriptura probavit Abrahamum Deo credidisse & hoc imputatum ei fuisse in justitiam.

Ne vero judaizantes regerere possint, hac ratione legem inutile quasi pondus, imo Deo contrariam statui, objectiones eorum diluit, sed ita, ut simul eorum argumenta retorqueat. 1. Ostendendo legem non datam fuisse ut benedictio per eam obtineatur vs. 19. 20. 21. 2. Legem tamen promissioni non fuisse contrariam.

Vs. 19. Quid igitur lex? Propter transgressiones adjecta est, donec veniret semen, cui promiserat.

τί ἐν ὀνόματι; est objectio. Lex nimirum illa, quam Patres non audiverunt, sed quæ per Moysen demum promulgata fuit.

Propter transgressiones adjecta est ita respondet Apostolus, προσετέθη id Rom. V:20. exprimitur νόμος δὲ παρεῖσθαι, lex subintravit, tanquam aliquid, quod nil ad essentiam promissionis Testamentariæ faciat, adjecta est.

ἢ παραβάσεων χάριν, aliter hic legit Irenæus lib. XIII. 67. Cit. a Beza in h. l. τί ἐν ὀνόματι των περιξων; ἐδέτη ἄχρισ ἢ ἔλθη τὸ σπέρμα, quæ

quæ lectio commodum fundit sensum, fateor!
tamen non est cur a consueta abeamus.

Multiplex quidem legis erat usus, sed Paulus primarium attigit, & eum qui præsentis causæ inserviret; Legem ideo latam dicit, ut homines ad agnitionem & confessionem reatus cogeret: Imprimis vero ob Israelis transgressiones accessit, qui tanquam populus duræ cervicis, & ad idololatriam proclivis hoc vinculo constringendus, atque his præceptis ad peccati commemorationem adigendus erat, sed non ad semper; hinc addit.

ἄχρις ἢ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται. Veniente enim eo, ejusque morte intercedente, commemoratione peccatorum, tanquam non expiatorum amplius non opus erat, facta enim est ἀπλύτρωσις τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων. Hebr. IX: 15.

διαταγὰς δι' ἀγγέλων, addit hoc & sequens per concessionem, sed ita, ut simul ex hoc ipso indirecte ostendat, ex lege benedictionem nullo modo obtineri; videamus verba ut sonant. Lex, inquit, ordinata fuit per Angelos, præpositio διὰ usurpatur hic pro causa ministeriali & instrumentali, per Ministerium Angelorum, ita explicatur Hebr. II: 2. εἰ γὰρ ἡ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος. Patet igitur quo sensu sit intelligendum illud Stephani, dicentis, Patres legem accepisse εἰς διαταγὰς ἀγγέλων. Act. VII: 53. εἰς διαταγὰς

γὰρ per hebraismum pro δια' διαλαγών, ministerio eorum, concedit igitur Apostolus, legem habuisse suum splendorem, quippe ordinata, imperata per Angelos; erant igitur Testamenti testes; prout apud Romanos, qui-rites, in Testamenti nuncupatione. Paterfamilias dicere solebat; *Hæc uti his Tabulis, ce-risve scripta sunt, ita do, ita lego, itaque vos Qui-rites testimonium præstitote.* Erant legis custodes & acerrimi vindices, hinc mundus legalis Angelis fuit subjectus, ἔ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν εἰρημενην τὴν μέλλουσαν Hebr. II: 5. ergo veterem legalem, cujus inquilini φόβω θανά-τε-ενοχοι ἦσαν δευλείας. Hebr. II: 15.

Data est lex ἐν χειρὶ μεσίτε, habebat qui-dem etiam illa Testamenti formam, Hereditatem, suumque Mediatorem sive Familiæ emptorem, qui fuit Moses Deuter. V: 5, qui & ipse Nexum s. pretium quoddam imaginariæ emptionis, nimirum animalis sanguinem dabat, qui ob id sanguinis Testamenti nominabatur Ex. XXIV: 8. hinc Populus ipsi quasi acquirebatur & suis successoribus Matth. XXIII: 3. sed erat μεσίτης Israelis tantum.

At

ὁ δὲ μεσίτης ἐνός ἂν ἔσιν, non est unius familiæ sive hereditatis, portionis tantum, qui vere hoc Mediatoris nomine gaudet; vocula δὲ ita est copulativa, ut simul sit discretiva, connectit verba cum proxime præcedentibus, sed ita

ita' ut ab ipsis secernantur, dum Mediatoris
 præcedentis defectum indicant.

ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν, omnium gentium Deus,
 totius hereditatis vel familiæ, Pater unus,
 imo unicus.



II.

Isebrandi Eilardi HAR-
KENROHTII,

DISSERTATIO

Topographico - Theologico - My-
 stica,

de הצפון ad locum *Ezech. I: 4.*

והנר	וארץ	Καὶ ἶδον,	ἢ ἰδοὺ	<i>Et vidi, & ecce</i>
סערה	רוח	πνεῦμα	ἐξ αἴρον	<i>ventus turbinis</i>
מן הצפון	באה	ἤρχετο	ἀπὸ Βορρᾶ	<i>veniebat ex inte- riori sanctuario.</i>

§. I.

CUm hætenus videar affixus glebæ
 quasi, angulos terrestris Cananææ
 perreptasse, nunc cœlestem medita-
 bor, exhibiturus specimen medi-

Class. VII. Fasc. IV.

Qq ta

tationum & exercitationum de Viso illo augusto, sublimi & illustri *Jechezkielis*, quo *ειδεν* in terra Chaldæorum, ad fluvium Chebar, *ὁ θεος δόξης, ἣν ὑπέδειξεν αὐτῷ* ipse Deus *ἐπὶ ἄρματος χειρβίμ.* *Syrac. XLIX: 11.* quod omnino Summi Viri in Codice Prophetico, ejusque sensu eruendo versatiores censuere, esse argumenti vere cœlestis & sublimis, explicatu arduum valde; Illi illustrando vellem aliquid conferre operæ, nunc acturus de *ויצא*, & ubi benevolum experiar iudicium, forsân singulari aliquo Dissertationum Sacrarum volumine, totum hocce Visum *Jechezkielis* exponam.

§. 2. Ut autem justo ordine videar differere, (α) quædam habeo præmonenda, quibus animum Eruditi & Veri Studiosi Lectoris, versati in Codice Sacro interpretando præoccupatum vellem. (β) Quid sit *ויצא* *Jechezkieli* memorata, explicabo.

§. 3. (α) Illa, de quibus præanticipandum duxi, promam ex ipsa relatione Prophetæ, ne cuiquam videantur longe petita. Suntu hæc

(I.) Obtigisse Visum hoc Vati Divino in *ἐκστασει* raptο, dum ad tempus cessabat usus sensoriorum *externorum* & mens defixa hærebat in contemplatione objecti intus depicti, retractis ad sensorium internum spiritibus. Non existimem quempiam fore adeo iniquum, qui hoc negaret. (II.)

(II.) Quicquid *Jechezkiel* ecstasticus vidit, & huic *Viso* connexum, fuisse cœleste, spirituale & mystico accipiendum sensu. Quod assertum ubi quis velit in dubium vocare, quia quorundam destruere videtur hypotheses, vel duxerit esse illustrandum, huic ut satisfaciam, paucis defungar.

§. 4. Ipse Propheta. l. v. i. testatur צפתחו השמים ואראה מראות אלהים *Aperti sunt cœli* & *vidi Visiones Dei*. Attende, visibiles cœli disparuere, per consequens etiam omnis visibilis cœli plaga, quid præter visibiles cœlos ergo restat, in supracœlestibus, quod intellectui Viri Dei potest obversari? Omnino *cœlum tertium*, altissima gloriæ Dei sedes. Adeoque omne quicquid ecstasticus videbat, imo poterat contemplari, erat sublime, supra cœlos visibiles altum, cœleste, spirituale. Quod sufficit monuisse.

§. 5. Jam

(III.) Visum hoc exhibere in symbolo Regnum Christi, glorificati Regis, manifestandum cum evidentissima demonstratione gratiæ, longanimitatis & justitiæ, per totum Orbem promovendum, per Spiritum animantem & actos sustentantem, dirigentem subditos priori affectu gloriæ Regis promovendæ studiosos, subservientes huic, sub *Oeconomia Gratiae Testamenti Novi*.

Cuncta hæc cujusque probe attendentis Lectoris intellectum & animum fugere non possunt, versati in interpretandis Vitis ejusmodi symbolicis. Et si quis ita lubens velit, succincte institutionem de singulis mentionem.

§. 6. Exhiberi in hoc Viso, symbolum Regni Christi, glorificati Regis liquet, qui memoratur *Gloria Jehovah, forma humana, in Throno suo, sede Regia, sapphirino, Vati ecstático fuisse depicta. I. v. 26. 27. 28.* quod ad Regnū manifestandum *cum evidentissima demonstratione gratia, longanimitatis & justitiæ, probantiris, quæ cingebat Regem, & ignis, nubes effulgens. I: v. 28. 27. & v. 4. &c.* deinde figurari Regnum hoc per totum Orbem promovendum, per Spiritum, animantem subditos promiore affectu assiduos, gloriæ Regis & Regni promovendæ *subservientes*, abunde satis constat, ubi quis secum reputaverit, Viro Dei fuisse obversata *animalia hæc quatuor*, quorum capitibus innitebatur *expansum*, pavementum pellucidum substratum Throno Gloriæ, & *rota* singulis junctæ animalibus, cito & rapidissimo cursu, præpete volatu, ferebantur movente & regente Spiritu, vehentia, portantia verbo Evangelii, instar expansi pavementi mystici, Thronum Regis, nec se vertentia in cursu suo volventibus rotis ad utrumque latus etiam ab eodem actis Spiritu. I: v. 22. 26. 5. 6. 7. 13. - 21. velim observes adhuc

rotas hasce à singulis animalibus non sejun-
 gendas esse, cum adeò intimè junctas *Jechez-*
kiel memoret, ut spiritus animalium esset in rotis
 v. 21. Hoc autem Regnum Gratiae sub *Oeco-*
nomia T. N. manifestandum fore, suadet nobis
 relatio Prophetæ, qua apertis cælis hoc Visum
 vidisse ecstasticus testatur. Novimus enim
 μήπω πεφανερώθη τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, ἐπὶ τῆς πρώ-
 τῆς σκηνῆς ἐξέσης αἰσιν. *Hebr. IX: 8.* & *Chri-*
stum nobis parasse, Pontificem Summum, no-
 stræ ὁμολογίας, sub *Oeconomia Gratiae Nova*
παρρησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων, per sangui-
 nem suum, in morte sua, scisso Velo mysti-
 co, effusum. *X: 19. 20.* Est autem adhuc sin-
 gularis Ecclesiæ Testamenti Novi prærogati-
 va, remotis visibilibus, licet subditis regni
 Gratiae, in spiritu, ἀνακεκαλυμμένῳ πνεύματι,
 intueri gloriam Dei, ubi disparuerunt cæli
 Mystici simul ac manifestatur Regnum Christi
 supracæleste, spirituale.

§. 7. Ultimum esto, quod supponam præ-
 monendum IV. Visum hoc ita compactum
 non potest resolvi, nisi collata structura Tem-
 pli Salomonæi, à Chaldæis vastati, cujus tem-
 pora coæva sunt illis *Jechezkielis*, adeoque com-
 pagem hujusce Visi Symbolici relativam ad il-
 lam Templi, mirabilis & stupendi operis, non
 absque idonea ratione præsumerem. Nolim
 hoc cuiquam mirum videri, non enim planè
 novum est, huic vindicando paulisper dun-
 taxat inhærebo, demonstrans inter structu-

ras partium Templi & contabulationem hujus figuræ symbolicæ aliquam *ωδραγγελίαν*. Præmam vestigia *Jechezkielis*, (in terris adhuc,) ecstatici, qui non supernè sed de subter totam hanc vidit compagem symbolicam, quam in tres majores dividam partes, singulas collaturus notabili & distinctæ ab invicem parti Templi.

Basis totius Visi hujus exhibentis Regnum Messiaë glorificati, quod Gratiaë est, (fundatum in cruenta morte & æterna justitia acquisita per sanguinem, Victimarum typicarum mactatarum, antitypum pretii inæstimabilis æterni, redundantis in justificationem & sanctificationem plenariam subditorum hujus Regni, vindicatorum, per Spiritum cooperantem, regenerantem, sanctificantem, è potestate Satanæ, carnis, mundi & mortis, sub spe indubitata *της αιωνίης δόξης*, cœlestis,) constat quatuor animalibus, referentibus singulis facies quatuor hominis, leonis, bovis, aquilæ, junctis totidem rotis transversum insectis, rapido aptis nec verso redeuntibus cursu, totidem alis binis volantibus, quo impelleret Spiritus efficacior: hanc basin jure quis compararet assimilatam *luteribus* decem *æneis*, lustrationibus Sacerdotum & Levitarum ordinatis, affabrè factis, artificiosè sculptis, quæ inter instrumenta antiquæ religionis, in atrio Templi Salomonis, circa mare æneum, vibrante ornata splenduerunt, unde-

sim

in commatibus satis graphicè hæc depicta leguntur. 1. Reg. VII: 27-39. quod observasse summis etiam nostratibus Theologis placuit. Vide Cl. COCCEJUM in *Lex. Hebr. ad V. מכונה* & CAMP. VITRINGA P. *Observ. Sacr. IV: 1. §. 18. 20. 21. &c.*

Alterum hujus symbolicæ compagis tabulatum conficit *expansum* crystallinum, pellucidum, pavementum Throno Gloriæ vehendo substratum, quod refert revelationem & demonstrationem Veritatis salutaris & Gratiæ Regis in Throno suo per ministerium Verbi Evangelii, & respondere ministerio Lychnuchi Sacri, in Sancto Templi conclavi dixerim.

Huic super-impositus est Thronus Gloriæ, Regis glorificati in cælo supremo, cujus Sanctuarium interius & in eo Thronus Gratiæ, typus passim cluet, ut notum est. Quæ præ-anticipanda sufficiant.

§. 8. Hisce ubi suum quis præoccupaverit animum, facile sibi persuadebit, *Jechezkieli* in terram Chaldæorum deportato, hærenti ad fluvium Chebar, non fuisse terram Chaldæorum obversatam in septentrionali cæli plaga, hæc enim coram ecstático disparuerat, & quamvis Judææ ad septentrionem sita terra hæc, præ dicta *Jeremie. I: 14. XIII: 20. XLVII: 2.* Vati huic veniebat jam deportato in terram Babelis, Judæa ad Austrum sita, prout constat ex *Codice Prophetiarum ipsius*

XX: 46. 47. coll. XXI: 2. 3. 4. debere observari, adeoque ad septentrionem Babelis, (quæ Metropolis terræ Chaldæorum,) erat Media & Persia, cujus milites **יִצְדָּק** נָא Gens ab Aquilone dicuntur. Jerem. L: 3. 41. Et quamvis sint, qui boream & tractum septentrionalem, de malo tristi exponere velint, quæ ὑπόληψις plurimum animos incescit, (Confer Hesygium in Βορρᾶς;) non meum, ἐπεὶ, δὴ πνευμάτων τὰ βόρεια τροφίμων τῶν. Judææ fuerunt, prout *Pbilo Judæus* nos monuit de *Vita Moſis* Libr. III: p. m. 518.

§. 9. Jam quid **יִצְדָּק** mihi videatur hoc in loco indigitare, (β) explicabo & quantum pote illustrabo: **יִצְדָּק**, à **יָצָק** recondidit, reposit, abscondit, significatione satis generali, notat adhuc speciali, abscondere, ut alterius oculis & notitiæ subducatur. *Exod.* II: 2. 3. *Jos.* II: 4. *Job* XIV: 13. & reservetur ac custodiatur in tuto loco, sic omni adhibita diligentia ac sollicitudine recondere instar preciosissimi cuius *κειμηλίσ* vel thesauri. Vide *Job* XVII: 4: XXIII: 12. *Pſ.* XXVII: 5. XXXI: 21. CXIX: 11. *Prov.* II: 1. VII: 1. X: 14. *Cant.* VII: 13. Hinc **יָצָק** masc. significat thesaurum reconditum, prout passim reddunt Interpretes *Pſ.* XVII: 14. **יִצְדָּק** ἔθ thesauro tuo implet ventrem eorum. LXX. τῶν κεκρυμμένων σκ. *Symmachus* vertit ἄποθέτων. Ubi sensum hujus loci mecum revolve, existimo **יָצָק** indigitare *interiorem recessum;* instar Thesauri, quem
Deus

Deus, qui provida sua cura versatur circa res humanas, sibi reconditum servat, ex quo promit, quæ sub moderamine suæ providentiæ arcanae singulis hominibus in mundo concedit, etiam impiis bona corporalia & terrena, pro recondita ratione suæ longanimitatis, impertiens: prout phrasis huic non dissimilis etiam alibi videtur subinnuere ex. gr. *Job XXI: 19. Prov. XIII: 22. coll. XXVIII: 8. & Eccles. II: 26.* De *Sanctuario* Templi adhibuit *Jechezkeel VII: 22.* & *profanabunt* אֶת־צִפְוֹנִי *sanctuarium meum, adytum, Sanctuarium interius, quo sensu etiam exposuere Reverendi & Eruditissimi Belgæ Interpretes; nec aliena hæc est significatio, erat enim Sanctum Sanctorum, abditus & secretior recessus, reconditum conclave in Templo Dei, subductum oculis populi Israëliti, reconditorium pretiosissimi thesauri, Arcæ Fœderis nimirum & gloriosi signi gratiosæ præsentia Altissimi & Clementissimi Dei, habitantis in nube super propitiatorium, adytum hoc ipse summus Pontifex die Expiationis Anniversariae non ingrediebatur, nisi sub nube accensi suffitus, ex Lege Dei, liberum oculorum usum præstringente nebulosa caligine.*

§. 10. Eodem hoc sensu אֶת־צִפְוֹנִי *acciperem, nec video quid obstet, quo minus posset sumi, pro loco singulari, illustri, prout suaderet אֶת־צִפְוֹנִי præf. emphasin monens, adyto, sanctuario, vel ejusmodi recondito, secretiore;*

omnino *ἐκστασις*, quæ incessit *Jechezkelem*, & apertio cœlorum visibilium probant, nec in terris, nec in cœlis visibilibus, debere quæri nec posse offendi *הצפון*, cujus meminit Vates, quid ergo præter *Sanctissimum Adytum Dei supra-cæleste* restat, quod cuiquam poterat obversari ecstático; deinde non respuit *רוח סערה* hanc allegoriam, ventum prodire è secretiore loco aliquo; conclavi, thesauro, ita enim ex aliis locis S. Codicis constat. *Job IX: 9. XXXVII: 9.*

§. II. Non obstat usus hujusce notionis, quæ pro *interiori Sanctuario* omninò sumenda videtur. *Jes. XIV: 13.* ubi de Rege Babelis: *Tu vero dixeris animo tuo: conscendam cœlos; supra stellas Dei Omnipotentis efferam solium meum, & sedebo in monte conventus, בירכתי צפון ad latera Aquilonis*, ita passim reddunt Interpretes. Hæc verba Prophetæ respicere blasphemias Senacheribi & Nebucadnezaris, utriusque generis fastuosi Regis Babylonis Mysticæ personam, facilis admitto, pro ratione instituti, quid *ירכתי צפון* disquisiturus, solent Commentatores anxie inquirere situm montis Tzionis, qui *mons conventus* dicitur, & Morix, ut locum hunc exponant: sed putarem huic loco debere conferri, quæ Paulus 2. *Thess. II: 4.* de *τῷ Ἀντιχριστῷ Adversario Christi, Anti-Christo*, illum se oppositurum esse & elaturum supra omne quod dicitur (in terris) *Deus, ὡς εἶπεν εἰς τὸν ναὸν τῆς Θεῆς ὡς Θεὸν καθίσαι*, adeo ut in Templo

plo Dei tanquam Deus (verus) sedeat, præ sefe-
 rens se esse Deum. Sedebat autem Deus in inti-
 mo Sanctuario Templi, hunc locum fastuo-
 sus & blasphemus ille Rex Babelis occupare
 molitur. Ex hisce collatis liquet *Jesaja* ירכתי
 צפון Paulo *vāds τῆ Θεῶ* dici. *Nāos Hesycho*
εἰς τὸ ἐν τῷ θεῷ ἀπομονεῖται, significatione satis
 generali, in loco Apostoli omnino *Alytum* in
 Templo Dei indigitatum, eodem sensu ירכתי
 צפון *intimum Sanctuarium Jesaiæ* dicitur. Ni-
 mirum ירכתי *latera*, quandoque *interius, in-*
timum notant. ex. gr. 1. *Sam. XXIV: 4.*
 בירכתי המערה LXX. *ἐσώπρον τῆ ἀπηλαίς*, in
 intimo spelunce, ut liquet collato v. 9. *Jes.*
XIV: 14. *detrahere* בור ירכתי אל in intimum
 profundum putei. Vide C. VITRINGA P. ad
 b. l. Sic *Jes. XXXVII: 24.* ירכתי לבנון τῆ
ἄκρῃ τῆ Διβάν *arquipollent* τῷ קצו מרים
altitudini summitatis, intimo cacumini, *ejus.*
 Adde *Amos VI: 10.* *Jon. I: 5.* Nec me planè
 hospitem versatum in *Codice Vaticiniorum Je-*
chezkielis, cui illustrando sæpius incumbere
 non erubesco, probet eundem usum τῷ
 ירכתי *observasse.* XXXII: 23. *Cujus sepulchra*
posita sunt בירכתי בור *ἐν βάθει βάθους* in pro-
 fundo intimo *foveæ.* & XLVI: 19. *בירכתי*
 ימה *in extremo, intimo, versus occasum.* Quæ
 sufficiant.

§. 12. Eodem mihi צפון vel ירכתי צפון
 adhibita sensu à Psalte videtur. *Pf. XLVII :*
 3. *Magnus Jehovah* Ⲅ *laudandus -- in monte san-*
Ⲅⲟ

Et eius; pulcher termino, gaudium universæ terra,
 mons Tzion, יְרֵכָתִי צִפּוֹן, civitas magni Regis.
 Omnino mihi persuadeo esse certum & veris-
 simum, montem Tzion Hierosolymæ fuisse
 australem, quod Magnus ille COCCEJUS in
Comment. ad b.l. doctè evicit, & C. VITRIN-
 GA in *Comment. ad Templum Ezechielis* & non ita
 pridem C. H. RELANDUS *Palæst.* III. III. p. m.
 846. 847. contra JOH. LIGHTFOOTHUM,
 Virum præ aliis de Geo- & Topo- graphia sacra
 optimè meritum, qui pœnitendo errore Tzio-
 nem montem Hierosolymæ Aquilonarem statuit,
 ex hoc loco. *Centur: Chorogr. præmiss. Hor.*
Hebr. in Matth. capp. 22. & 23. Inviçtè satis
 probatur quidem ex *Codice Nehemiæ XII: 3 1.*
 &c. & *Josepho de Bello Jud. VI: 6. 8.* fuisse ad
 Austrum Urbis situm montem hunc, omne ta-
 men præsidium, si quid in hoc loco, sententiæ
Lightfootianæ destruitur, ubi hanc nostram
 expositionem quis admiserit, יְרֵכָתִי צִפּוֹן late-
 ra Sanctuarii interioris. Et quamvis ampla mihi
 suboriatur differendi materia, putem tamen
 mihi non licere, ut me latius diffundam, ne
 videar deflectere à scopo,

§. 13. Quin admitterem in notabili loco Jo-
 bi XXXVII: ubi Elihu, de hominibus etiam
 illis, qui mirabilia Dei opera contemplantur,
 versantis provida sua cura circa ipsos, tum
 prosperis implicitos tum adversis. v. 21. *Atqui*
non vident solem, Deum, Lucem purissimam,
 nec possunt fixo obtutu intueri, quin caligaret ob-

obtusa oculorum acies, בהיר in claro fulgore
 quando fulget in nubibus longanimitatis, tem-
 perantis iram cum gratia sua, ⚔ ventus, Spi-
 ritus iudicii, transit, ⚔ purgavit aërem, dissi-
 patis nubibus, ubi Deus se manifestat, in lu-
 ce pura & ardore, gratiæ & justitiæ suæ, ani-
 mo hominis afflicti intimè sibi conscio. v. 22.
 זהב מצפון (צפון Boreæ νέφη χρυσαυγῆν ⚔ ab aqui-
 lone aurum venit, ita passim reddunt Interpre-
 tes, tempestivè & eruditè succurrit Celeb.
 Alb. SCHULTENS in Animadv. Philol. ad h. l. &
 monet זהב significare splendorem, qui clarita-
 te sua oculos præstringit. Novi probè, quod
 Βορέης αἰθέρα γενέσθαι dicatur Homero Odyss. ε. v.
 296. αἰθέριαν καὶ εὐδίαν ποιών. ἢ αἰθέρον ποιών, ὃ ἐ-
 σσι πάγον Interpreti Scholiasta Græco, quem aliū
 Didymum, alii incertum ἀνώουμον, putant, Co-
 lumellæ audiat nubifugus. Sensu literali ubi su-
 merem de Borea, multum mihi videretur in-
 fra sublimem dictionis tropum subsidere hæc
 explicatio :) ita putarem esse exponendum
 מצפון ex abdito, occulto, adyto vel ejusmodi,
 venit splendor coruscantis Gloriæ Dei, summi,
 justii, clementis, longanimis & gratiosi, mi-
 rantibus & quaquaversum spargentibus se ra-
 diis lucis purissimæ, lucidissimæ, oculos no-
 stros claritate sua præstringens, ita enim ex-
 ponitur per ἐξεργασίαν, quæ in Jobi Libro fre-
 quens, in his, quæ proximè sequuntur;
 אלהי נורה על - אלהי נורה הור
 habitat מצפון) metuenda Majestas, evi-
 den

tur, in Spiritu. *Eph.* II: 6. In supremo cœlo, interioris Sanctuarii ἀντιπόσω, positum est solium Regis, & subditorum πολιτευμα in cœlis. *Phil.* III: 20. ἴδεν obversabatur Vati ecstático, theatrum symbolicum, in quo aperiebatur scena illustris hujus Visi Regis in Throno suo Nec scio, quid liquidius.

§. 15. Non fallax huic substruerem asserto fundamentum, magnam illam, quæ inter hoc *Jecheskeeli* & *Jesaiæ* revelatum Visum symbolicum intercedit, convenientiam, aliquibus Judæorum magistris observatam, *cap.* VI: 1. *Vidi* (infit Vir Dei) *Dominum sedentem super thronum celsum* & elatum, simbriæ ejus replebant *ביתיה* Templum i.e. Sanctum, mediam Templi partem. Concepimus enim, objectum fuisse *Jesaiæ* ecstático (1) hunc Thronum symbolicum in ipso Templi positum Sanctissimo Adyto, in quo sedes erat Arcæ Fœderis exhibentis signum gratiosi præsentia Dei, habitantis inter aureos humeros Cherubinorum, (2) huic mystico insidentem Regem Gloriosum indutum toga talari, cujus lacinia implebant, sensu spirituali, Sanctum, Ecclesiam Novæ Oeconomiae, (videatur Magni Theologi *CAMP. VITRINGA P. Comment. ad Jes. VI: 1- p. m. 146. a. b. & c.*) *quæ est majus & perfectius Tabernaculum, non manu factum, hoc est* τῶν τῆς κτίσεως. *Hebr.* IX: 11.

§. 16. In hoc supra cœlesti Sanctuario est Christus, summus nostræ ὁμολογίας Pontifex & Rex noster

ster æternus glorificatus, sedet in Throno suæ
 Gloriæ, qui in administrando Regno suo, sub
 Oeconomia Nova, pro clementissima sua
 Gratia & tremenda Justitia, promittit è thesauro
 Sanctuarii sui, quæ ipsi, Summo Domino, Re-
 gi benignissimo, Judici longanimi & justissi-
 mo, obversantur certis & statutis, sibi soli
 notis, reservatis, temporibus & circumstan-
 tiis conducere ad stabilitum Regnum suum
 firmandum magis, contra quasvis adversario-
 rum machinationes inimicas, amplificandum,
 frementibus hostibus vel subjiciendis vel pu-
 niendis, exequitur arcanum voluntatis
 suæ propositum, modo altissimo, imperscruta-
 bili, cœlesti, subministrantibus huic Regi
 subditis, servis suis, animatis Spiritu Regni,
 vivificatis, actis, promoventibus Gloriam
 Regis in Throno suo cœlesti manifestandam
 per totum Orbem, vehentibus. Et
 hæc nunc sufficiant.

Jo. Gothofredi LAKEMACHERI

Observationes philologicae ad (a) Rom. VIII: v. 19-24. de *Gemitu rerum creaturarum.*

Quae sequuntur ad v. usque 24. extendunt, ut futurae Christianorum gloriae certitudinem & propinquitatem exponant, ad quam designandam Paulus phrasibus utitur, *Class. VII. Fasc. IV. Rr* *quas*

(a) Difficilis hic locus plurimorum ingenia exercuit. Praeter interpretes inspicere, si lubet, *Acta liter. Germ. edita Lipsiae 1715. sect. 3. p. 217. Fr. SPANHEMII Dub. Ev. T. III. dub. CXXXII. §. 21. sqq. Frid. Ad. LAMPE in exerc. ad Ps. XLV; ex. XII. §. 10. 11. p. 567-584. S. DEYLINGII Obs. S. L. I. e. 38. Jac. NYLOE Obs. S. Belgice (Leovardiae 1709. 4.) editas L. II. c. 5. Ej. Sermones p. I. p. 151. sqq. JONCURTII (V. D. M. Hagienfis) Literas criticas (Gallice excusas Amst. 1715. 8.) pag. 237-304. Gotthardi HEIDEGGERI recreationes S. p. 152. sqq. Adriani van WESEL, Ecclesiastae Amstelodamensis, gloriam Messiae, librum Belgicum, haut malae notae, p. 473-536. *Oblat. spontaneas Berolin. fasc. 19. p. 858. sqq.**

Sin-

quas nullo negotio intelligerent, qui opinio-
num ac hypothesium Judaicarum non erant
ignari.

Attenta expectatio creaturae. Etsi non sper-
nenda prorsus est illorum sententia, qui per
κτῶν mundum intelligunt *ethnicum*, vel gentiles
etiam *ad Christum conversos* (quippe *κτῶν*
creatura vocari solebant gentiles a Judæis)
communior tamen hujus vocis significatus
præsenti contextui magis videtur congruere,
ut ita creaturæ h. l. dicantur, quæcunque sunt
creata extra hominem. Tribuit autem re-
bus hisce enixum aliquod desiderium, quo re-
velationem filiorum Dei a vide expectent, per
figu-

Singularibus eum dissertationibus excussere J. Conr.
DANHAUERUS Theol. Argentor. diff. 1646. 4. &
1684. quæ in ejus diff. syntagmate sextum occupat
locum. Th. ITTIGIUS Lips. 1700. 4. Georgius
NOTHDURFFT, Lips. 1709. 4. Theodorus
SCHNEIDERUS, Jenæ 1687. 4. Jo. MEISNERUS,
Witteb. 1666. & 1718. 4. Prolixum satis librum de
eo scripsit, idque Belgice Georgius de MEY, ec-
clesiæ Goudanæ Minister, impressum Goudæ,
1701. 4. & complectentem ultra duo, quæ vocant,
Alphabeta cum dimidio; ut & Petrus van ESTER-
WEGEN in L. *de vervvachtinge en boope der kerken.* in
3. Comma XXI. separatim tractavit vir perillustis
Joh. Fridericus L. Baro de WERTHERN, in diff. in-
aug. quam rarissimo exemplo in academia Jenensi de
gloriosa filiorum Dei libertate a. 1715. habuit. Edidit
quoque Theologus Cl. Halensis Joachimus LANGLI-
US *Nodum in scirpo & quidem Paulino de Gemitu & li-
beratione creaturarum* Rom. VIII. 18-23. *innodatum*
praeter alios à V. E. Löschero, Halæ 1717. 8. T. d. H.

figuram satis usitatam, quam Profopopceiam dicunt. Revelationem filiorum Dei illud vocat tempus, quo appariturum sit, quinam sint Dei filii (esse autem illos Christianos v. 14. 15. & 19. dixerat) & quanto hos honore Deus afficiat quantisque beneficiis ornet, quantæ denique beatitudinis participes eos faciat. Hoc tempus & beatum hunc Christianorum statum ipsam creaturam anxie jam expectare dicit, non aliter, ac si proximæ & ineffabilis istius felicitatis gnara, & status sui præsentis pertæsa esset. Quo ipso indicatur, indubiam esse, nec longe remotam beatitudinem illam, quæ speranda sit Christianis. Non possunt autem hæc plene intelligi, nisi consulta Judæorum opinione ac hypothesi, ad quam Paulus utique alludit. Nempe credebant illi, Messiaæ tempore res creatas, Adami lapsu depravatas & corruptas, integritati suæ restitutum iri, ut ad Judaicæ gentis usum eo essent aptiores. Quam creaturarum in Messiaæ regno restitutionem *העולם החדש* mundi innovationem, seu universi hujus, quod propter se solos conditum existimabant, instaurationem appellabant. Hac igitur hypothesi utitur Apostolus, ut assertū suū superius de certo speranda fortuna fidelium sereniori confirmet, eamque non longe abesse ostendat, quasi diceret: tam certo futura, tamque propinqua est singularis illa, qua in Christi regno beandi sumus, prosperitas, ut ipsa etiam creatura, eodem tempore integri-

tatem suam, ut creditur, recuperatura desiderio maximo illam expectet, cum quasi sciat, propediem illam nobis obventuram. Ex mente quidem Pauli non alia hic denotatur beatitas, quam qua Christiani post mortem, vel & mortuorum resurrectionem sint perfundendi, quanquam Romanorum illos, qui opinionibus Judaicis imbuti erant, de sperata externa sua in regno Messiae felicitate hæc omnia, pro infirmitate sua, accepisse, vix dubitandum est.

vl. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est.* Exprimunt hæc statum creaturæ præsentem, miserum illum & corruptum, iterum accommodate ad Judæorum opinionem. Vanitas pro corruptione hic sumitur, cui creatura obnoxia sit. Ita enim sentiebant Judæi, inde ab Adami lapsu multis imperfectionibus creaturas laborare. *In vita.* Maluisset quidem illa in summa ista perfectione, in qua condita primum fuit, persistere, sed oportuit eam corruptionem subire, quamvis invitam.

Propter eum, qui subiecit. Intelligitur vel ipse Deus, cujus decreto parere oportuit creaturam, vel Adamus, qui delicto suo fecerit, ut creaturæ quoque perfectiones suas nobiles amitterent, in statum corruptionis plenum detrusæ, atque ita vanitatis, sive corruptionis creaturis sentiendæ, causa sit moralis. Erat enim hoc dogma in Judæorum scholis receptum, Adami peccatum non ipsi tantum,

tum, sed creaturis quoque reliquis magnam peperisse miseriam atque corruptionem, multa attulisse mala. Cui dogmati præsidium quærebant ex Genes. cap. III, 17.

Sub spe. In creaturæ solatium perpetuam ejus fore miseriam negabant D. ctiores Judaici, asserentes contra, spem omnino aliquam creaturæ relictam esse emergendi olim ex miseria & corruptione sua: quod quando futurum sit, versus docet sequens.

VI. 21. *Liberabitur à servitute corruptionis.* Servitus corruptionis ea vocatur creaturæ conditio, & status is, quo corruptioni obnoxia est creatura, dum perfectionibus suis naturalibus caret, earumque defectum re ipsa experitur. A statu hoc liberatum aliquando iri creaturam, dicit, (ex Judæorum quidem sententia) ad libertatem gloriæ filiorum Dei h. e. ut particeps fiat libertatis cum magna gloria conjunctæ, quâ futurum sit, ut fruantur Filii Dei, sive omnes regni Christi cives. Quæ locutiones indulgenter, & prudenti plane consilio ab Apostolo aptantur ad spem illam, qua animos suos lactabant Christiani, opinionum Judaicarum tenaces, prorsus confisi, fore, ut sub Messia regno ex servitute, qua à gentilibus peregrinis adhuc premantur, in libertatem asserantur, & in statum gloriosissimum transferantur: quo tempore creaturis etiam perfectiones pristinae omnes, quibus ante Adami lapsum gavi-

ſæ fuerint, reddendæ ſint. Quod ſi autem verborum ſenſus ex ipſius Apoſtoli mente metiendus ſit, dubium non eſt, quin per libertatem & gloriam beatam immortalitatem designaverit.

VI. 22. *ſcimus enim* &c. Deſiderium indicat vehemens & expectationem anxiam, qua creaturæ teneantur, quæ cum corruptionis ſuæ impatientes ſint, futuram liberationem incredibili cum aviditate expectent, ſed & illam jam quali parturiant; quod argumento ſit, eam non longe abeſſe. Quæ omnia doctrinæ Judaicæ plane erant conſentanea, & argumentum Paulo præbere poterant καὶ ἀνδρωπῶν.

VI. 23. *Non ſolum autem.* Scilicet creatura tanto liberationis deſiderio angitur. *Sed nos etiam primitias Spiritus habentes.* Ji, quorum numero ſeſe hic includit Apoſtolus, antiſtites ſunt doctrinæ Chriſtianæ Apoſtoli. His primitias tribuit Spiritus, quoniam illi omnium primi Spiritu Sancto perſuſi fuerant, ac primos hujus fructus, doctrina prima, acceperant. Vide Actorum cap. II. Deſumſit autem phraſin hanc ex illo Judæorum ritu, quo primos terræ & arborum fructus Deo conſecrare ſolebant, & in tabernaculo vel templo offerre. Vide Exodi XXIII. 19. Itaque Apoſtolos quoque, atque adeo ſeipſum memorato deſiderio affici profitetur, nihil magis cupientes, quam ut ipſi tandem cum Chriſtianiſ omnibus bonum illud pulcherrimum, quod

quod non frustra speretur, consequantur.

Adoptionem expectantes. Adoptio h. l. beneficia notat ampla, Dei filiis destinata.

Redemptionem corporis. Liberationem hujus a statu, cui adhuc subest, corrupto. Et hæc Apostolum de vita ac beatitudine æterna intellexisse, nemo facile dubitaverit, licet Ex-Judæi, veram Christianismi indolem nondum satis perspectam habentes, de bonis acceperint corporalibus & externis.

Vl. 24. Spem istam salutis futuræ adeo certam esse monet, ut qui illam foveant, ipsam salutem jam impetrasse judicandi sint. Porro iis occurrit, qui forte spem istam oculatam velint, & bonum, quod ipsis promittatur, præsens esse cupiant, ut oculis possit cerni & manibus tangi, non cogitantes, minime hanc esse spei naturam.

Causa Israëliitarum, qua vindicantur a furto & dolo in Ægyptios commisso, acta a Jo. Chr. Harenbergio, ad illustrandum Ex. XII: 35. 36.

§. I.

Maximum saepe offendiculum & Christianis & ethnicis visum fuit, si legissent vel audiissent, Israëlitas discessuros ab Ægyptiis mutua sumfisse vasa aurea argenteaque & vestimenta, nec tamen postea creditoribus, *δανεισάϊς*, eadem esse restituta, sed interversa ac spoliata. Cardo rei totius potissime vertitur in Ebraicis vocibus incisorum duorum 35. & 36. Exod. XII. quæ ita habent: בני ישראל עשו כדבר משה וישאלו ממצרים בליכסף וכלי זהב ושמלות: ויהיה נתן את חן בעני העם מצרים וישאלום וינצלו את מצרים. LXX. interpretes, ut vulgo audiunt, quia sæpissime Vulgatum ceterasque versiones a tramite recto vel abduxerunt vel aberrandi anſam dederunt, heic audiendi sunt, ut eo felicius scaturigo, unde sinistrae versiones propullularunt, indagari possit. Hi vero sic vertunt: *οι υοι Ισραηλ ἐποίησαν, καὶ αὐτὸ συνέλαβον*

αὐτοῖς Μωϋσῆς καὶ ἤτισαν τὰ ἅγιά τῶν Ἀιγυπτίων
 σκεύη ἀργυρεῖα καὶ χρυσεῖα καὶ ἱματισμόν. Καὶ Κύριος
 ἔδωκε χάριν τῷ λαῷ αὐτῶ ἐναντίον τῶν Ἀιγυπτίων καὶ
 ἔχρησαν αὐτοῖς καὶ ἐσκυλεύσαντο ἰὲς Ἀιγύπτου.
*Filii Israël fecerunt, ut præcepit iis Moses & petie-
 runt ab Aegyptiis vasa argentea aureaque & vesti-
 mentum. Atque Dominus dedit favorem populo
 suo in conspectu Aegyptiorum (animos ipsis con-
 ciliavit Aegyptiorum) ut mutuarent ipsis Ae-
 gyptiis ipsique spoliarent Aegyptios. Ego autem
 Mosen ita vertendum esse judico: Israëlitæ
 fecerunt, ut imperatum ipsis erat a Mose flagitabant-
 que Aegyptios vasa argentea & vasa aurea & ve-
 stimenta. Et ipse Dominus conciliavit benevolen-
 tiam erga populum in animis Aegyptiorum, ut dona-
 rent ipsis expetita vasa, quæ etiam sumserunt ab
 Aegyptiis.*

§. 2. Violentum sane est, si putes, Israëli-
 tas, Deo singulariter moderante, mutuatos
 esse quædam, quæ ipsos tamen non restitutu-
 ros esse prævidebat, immo, quod est gravius,
 extra bellum spolia prædasque egisse Judæos.
 Utut enim non repugnat juri naturæ, bello in-
 justo opes hostium diripere, spoliare, vel, si
 aliter jus tuum tueri nequis, violentiæ violen-
 tiam opponere, aut jure victoriæ spoliis ani-
 mum explere, aut summam per necessitatem
 tantum victus & amictus rapere, quantum, ne
 pereamus, sufficit: ipse tamen Deus bellari
 cum Pharaone nolebat, sed miraculis plagis-
 que cum eo adigere studebat, ut Judæos ipse

expelleret, ne in posterum Iudæos infestaret
 vel religio Mosaica imposturæ secretioris in-
 cusaretur. Nec Israël pugnabat ad mare al-
 gosum adversum Aegyptios, sed solum Nu-
 men hanc sibi redemptionis reservabat glori-
 am. Porro jus repressaliorum, quod vocant,
 locum non habet inter regem & subjectos,
 sed inter gentes regesque diversos, vel singu-
 los homines, in conditione naturali positos.
 Jus victoriæ heic non erat Israëlitarum, sed
 postea solius Dei. Nec summa necessitas huc
 quadrat, Deo mirabiliter victum & amictum
 in ipsa Arabica solitudine suppeditante. Com-
 modatio ad hæc est contractus beneficus
 utrimque obligans, quo rei suæ usum alter
 alteri ad certum tempus concedit, quan-
 tum ipse eadem commode carere potest, gra-
 tis concedit, sed cum restitutione tanquam rei
 alienæ conjunctus. Qui enim mutuum dat
 aliquid, revera quidem rem alienat, sed ita,
 ut neque suo patrimonio aliquid detrahere, ne-
 que debitoris, *χρεωφειλέτης*, rebus aliquid ad-
 dere velit, ut egregie docuit Samuel de Puf-
 ENDORF de Jure Naturæ & gentium L. V. c. 6,
 §. 5. c. 3. §. 6. consentiente jure civili l. 5. §. 5.
 D. *commodati*. conf. Henr. Hahnii *observata*
theoretico-practica ad Wesenbecii Commentarios in
Digesta ad Dig. L. XIII. c. 4. 23. p. 442. Quare
 res commodata non est a debitore alienanda
 vel spolianda. Respondent vulgo, Deum
 rerum omnium dominum transferre posse ex
 justis causis opes proprias, ut Cananæam ade-
 mit

mit septem populis & Israëlitis dedit. Sed in Cananæam Judæi jus suum habebant, inde a Noacho Semitis partum. qui Cananis posteros Semitis in servitutem justa indubie causa addixerat, sive ea fuerit, incestus Chami, ut Hermannus von der Hardt in Ephemeridibus Philologicis, & Bernh. Henninges Witterus in Juribus Israëlitarum in Palæstinam sentiunt, sive fuerit exprobrata patris nuditas, ut J. Fr. Buddeus in Hist. Eccl. V. T. & Hermannus ab Elswich contra Venerabilium Hardtium & Witterum cum Casparo Calvörio in Gloria Mosis cum plerisque Veteribus sentiunt. Quid? quod Deus, qui tot miraculis terruerat Aegyptum, ista specie translationis rerum propriarum non indigebat, quique citra Judæorum falsiloquium vasis & vestibis suos locupletare norat. Et quomodo Deus sanctissimus spoliationem jussisset, ubi mutationem & amicam petitionem mandaverat? Nonne spoliare poterant, ut hostes? Contendunt porro Philo in Vita Mosis, Tertullianus contra Marcionem ipseque Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis L. II. c. 7. §. 2. & Theologi fere omnes, quod in compensationem operæ res Aegyptiorum ceperint Israëlitæ. Verum Judæi non Aegyptiis, sed regi servierant, jubenti, ut Aegyptii eos omnibus modis divexarent: Regi extruxerant Pithom & Raames, non populo. Nec videntur esse plectendi Achivi, siquid reges delirarunt, nisi quantum in calamitates regis maxime redundat.

Non

Non autem video, quænam inde regi nata fuerit calamitas, quod aliquot vasa & vestimenta in quadam regni sui parte fuerint immunita, cui abunde erat regionum agrorum & tributorum, utpote quæ ex vasibus & vestimentis exacta fuisse non recordor. Qui tandem mutuum orans accipit aliquid, ille rem non suam, sed alienam esse, fatetur, sibi que ipse contradicit dolumque committit, si animo debitum expetit, nutu vero & verbis rem alienam esse testatur. Taceo insulsa quædam corollaria, quæ hinc facile dimanare queunt, qualia verbi gratia sunt doctrinæ Anonymi Jesuitæ in Consilio Catholico-politico, wie das Haus Oesterreich die Erbschafft des letztern Herzogs von Jülich an sich ziehen könne/ quod non ita pridem Viennæ prodiit, ubi auctor in Præfatione ex hoc Israëlitarum exemplo comprobare studet, quod pro gloria Dei furari & spoliare liceat, hæreticisque sua adimere.

§. 3. Nulla difficultas vel absurditas cujusquam ingenio suboriri potest, si versio mea quam supra dedi, luce sua radiet omnisque culpa in LXX. conferatur, qui significatum vocularum כָּוֶן & כָּוֶן hoc loco non pro rei ipsius momentis & cohærentia reddiderunt, sed ex more significandi alibi recepto. Ne vero testimoniis carere videar, provoco ad Jud. VIII. 25. 1. Chron. IV. 10. 2. Chron. IX. 2. Deut. XVIII. 16. 1. Sam. I. 17. Esdr. VIII. 22. Jos. XV. 18. 1. Sam. XII. 17. ubi כָּוֶן

לָקַח est petere, rogare, flagitare, αἰτεῖν. Ipsi
 LXX. in nostro loco **לָקַח** recidunt ἤτησαν,
 non ἐχρησαν, fidemque meis faciunt dictis.
 Adde quod **לָקַח** sit ἐπαίτειν, mendicare Prov.
 XX. 4. quod longissime recedit a mutuacione
לָקַח vero est donavit 1. Sam. I. 28. ubi Sa-
 muel a matre vovetur donaturque Deo, quod
 tamen LXX. reddiderunt minus curate:
 Ἐγὼ κίχρω αὐτὸν τῷ κυρίῳ πᾶσας τὰς ἡμέρας, ὡς ζῆ
 αὐτὸς, χρῆσι τῷ κυρίῳ. Ego mutuum do illum do-
 mino omnes dies, quos vivit ille, in commodatum
 domino. Quod enim in perpetuum traditur, ut
 nunquam redire possit ad dominum, id dona-
 tione transfertur ad alium. Nec mirum est,
 Aegyptios plurima donasse Judæis abiturienti-
 bus, quia Israëlitis præsentibus, Deo punien-
 te, salvos sese non esse posse videbant. Ex. XII.
 v. 33. Nec obstat vox **לָקַח** quæ sumptionem
 alienationemque per se indicat, non acquisi-
 tionis titulo. Ita Gen XXXI. 16. eadem vox
 de Deo adhibetur, incluso alienante Labanis
 opes easque modo legitimo in Jacobum trans-
 ferente. Quod probe ibi expenderunt LXX.
 Interpretes, exsulat enim ibi vox σκυλευω, σκυ-
 λεω, συλεω &c. Vertunt enim: Πᾶν τὸ τὸν πλῆ-
 τον καὶ τὴν δόξαν, ἣν ἀφείλετο (NB. abstulit, alie-
 navit) ὁ Θεὸς τῷ πατρὸς ἡμῶν, ἡμῖν ἔσαι. Quod
 vero particula **לָקַח** sæpius notet ex, a, de, id
 dudum animadversum est a Philologis,
 adeo ut supervacuum foret, id
 prolixius ostendere.

J. C. HARENBERGII,

de *Vento in meridie noxio ad
illustrandum*

Pf. XCI: 6. (a)

Observatio.

§. I.

Etesiae, ventorum maximè stati, si-
dere caniculæ ex oriente, in Italia fe-
re spirare solent. De quibus Plinius
H. N. L. I. cap. 49. *Etesia noctu desinunt
flare & a tertia diei hora oriuntur. In
Hispania & Asia ab Oriente status est eorum. In
Ponto ab aquilone. Reliquis partibus a meridie.
In Aegypto igitur & Phœnice, quod locu-
pletes alii comprobant testes, a meridie ad-
flantur etesiae, qui eo magis nocent, quo æ-
stuosior ibi notus est. Plinius l. c. austrum
æstuosum, & paulo post noxium vocat. Nec*
mi-

(a) Singularibus dissertationibus hujus loci difficul-
tates excussere Jo. Phil. PFEIFFERUS, & Jo. Wil-
helm. BEYER, quarum prima Regiomonti, 1673. al-
tera Jen. 1683. prædiit, utraque autem *Thesauri Dissert.*
*Th. Amstelodamensis tom. priori inserta est. Hafniae
prodire cogitata probabilia de Δαιμονίω μετεω-
ρίω in versione τωv LXX. 1714. His adde
הדברא de indagine ad Ill. Virum de peste Pf. XCI:
6. disquirentem epistola Hermannii von der Hardt
Helmt. 1711.8. T. d. H.*

minus inde constat, hora nostra circiter octava ingruere austros illos furentes, cum æstu solis crescere, qui in meridie fervidissimus est, & nocte sensim appetente, remittere & sese ponere. Ex consueto illo etesiarum flatu in Arabia, Mesopotamia, alibique subinde extraordinarius gignitur turbo calidus, homines emecans, nisi humi palliis vel velamentis satis tecti procubuerint, per horæ quadrantem plerumque furens, horrido fremitu intonans. Msr. de Thevenot Suite du Voyage au Levant II. Part. L. I. c. 12. pag. 182-184. c. 13. p. 191. L. II. c. 16. p. 409. 10. L. III. c. 10. p. 562. de meridiana æstuosaque hac lue multa memoriæ prodidit, unde pauca transcribam. C'est un vent chaud, qui regne en Ete depuis Mosul jusqu' à Sourat, mais seulement en terre & non sur l'eau; & quand une personne a respire ce vent, elle tombe tout d'un coup morte sur la place, quoiqu' il y en ait quelquefois, qui ont le tems de dire, qu' ils brulent en dedans. D'abord qu' un homme est tombé mort de ce vent, il devient tout noir comme de l'ancre; & si on le prend par le bras ou par la jambe ou en tout autre endroit, sa chair quite les os & reste entre les mains de celui qui le veut lever. Sammal est ventus fervidus, qui æstate furit a Mosulo ad Suratum usque, sed terra tantum, non unda; & qui spiritu hunc ventum attrahit, e vestigio mortuus concidit, quamvis sint aliquando, quibus tantum temporis suppetit, ut dicere possint, se intrin-

se-

secus uri. Simul, ac quidam hujus venti afflatu ex-
 animis collabatur, totus instar atramenti nigrore
 suffunditur: si ejus brachium aut crus aut alio lo-
 co quiddam concretaur, caro ossibus sua sponte
 resoluta inter manus haeret ejus, qui ipsum attolle-
 re studuit. Vocant ejusmodi ventum Sammiel
 Arabice. Thevenot I. L. I. c. 12. p. 182. Sim en
 Arabe vent dire poison, *Si* iel en Turc signifie vent.
 Sam Arabibus est venenum, iel Turcis ventus. Sed,
 quod pace fautorum Thevenoti dixerim,
samm Arabibus notat ventus fervidus, flavit, &
 eadem fere pronuntiatione ventum fervidum
 designant. *El* vel *Elah* Deus est, qua voce
 Orientales vehementiam ac magnitudinem
 vel praestantiam rei exprimunt. Conf. Christ.
 Henr. Rithmeieri Diss. de Nominibus divinis stylo
 scripturae s. rem amplificantibus. Nec Arabibus
 hic ventus ignotus, ignis enim vento ejus-
 modi fervente agitatus, *نار الشوم* *nar-essa-*
mm Muhammedi Alc. Sur. XV. v. 27. mate-
 ria, ex qua diaboli divinitus conditi sint, fu-
 isse videtur. Balforaë, Arabiae oppido a.
 1665. hic ventus, qui Julio, Augusto ac
 Septembri mensibus ibi intolerabili saevit
 ætu, intra dies viginti 4000 mortales mor-
 te affecit, quare ibi tum humi quisque jacet,
 aquam ore tenens, ut fervori sit pabulum,
 nec ulla magis tum pestis metuitur quam pe-
 stilentissima tubera, medicorum sollicitudi-
 nem eludentia, eodem Thevenoto teste L.

III. c. 10. pag. 562. 564. Armeni Badifamur hunc vocant ventum, sibi non ignotum l. c. L. II. c. 16. p. 410. ubi memoratur, Persas Junio ac Julio hunc ventum flare tradidisse. *Ils ajoutent, que le moyen de s'en garder, c'est quand on sent un vent chaud dont l'on entend aussi le bruit (car il bruit bien fort) de mouiller vite un manreau ou autre chose semblable & s'en bien couvrir la tête, afin que le vent ne puisse penetrer: & outre cela se tenir tout de son long, lenez contre terre, jusqu'à ce qu'il soit passé & il ne dure pas plus d'une quart d'heure.* Possent adjungere, quæ dudum Camerarius de eodem alibi etiam sæviente Sanniele Hor. Subsec. Cent. II. Obs. 70. p. 408. 9. 10. collegit, nisi prolixiora forent. Apud Malabares atrox quidem hic est spiritus, at non tam præsentis leti. Ziegenbalg in ausführlichen Berichte von der Küste der Malabaren/Continuat. III. p. 117. 18. Im Majo bis zum Ausgange des Julii wehet ein starcker ungesund und hitziger Landwind. Derselbe verursacht bey den Malabaren so wol als Europæern vielerley Kranckheiten. Er führet eine solche Hitze bey sich / daß es scheint / als käme er von dem Backofen. Wenn man in die Höhe siehet / so wird man nichts als lauter Sand gewahr / welchen der Wind zu allen Häusern hauffenweise hereinführet. Geset man auf der Gassen / so kan man die Augen nicht aufmachen und muß recht im Winde / als wie in eineni starcken Wasser hindurch

waten. So lange als dieser Wind wehet / so lange pflege ich ganz unpaß zu seyn / indem er mir allen Saft und Krafft benimt / daß ich oftmahls wenig Othem holen kan und ganz Feinen Schweiß an mir fühle. De Bactrianis fere eadem Curtius L. VI. c. 4. Nec in Palæstina ipsa hic incognitus est ventus, quem Elias expertus, sonitu horrido invalescentem, contra quem caput pallio obvoluit, lenius tandem spirantem I. Reg. XIX. II. 13.

§. 2. Causam proximam mortales vel in spiritibus vel materia ipsa scrutantur. Chaldæi, teste Stanleio, dæmonas aquis ventisque inesse, iisque excitandis præsidere crediderunt. Idem Ebræi sentiunt, angelos esse igneos affirmantes, Echa Rabthi fol. 76. & Commentatores eorum ad Ps. CIV. 4. Targumista ad Ps. XCI. 5. 6. pestem vel vastationem nocturnam angelo mortis tribuit, lucem meridianam geniis malis, *שְׂדֵיִם* tribuit. En paraphrasin: *לא תרחל מן דלונתא דמויקי דאוקין בליליא מן נררא דמלאך מותא דשרי ביממא: מן מותא די בקבלא מהלך מסיעת שדין דמחבלין במידיהרא.*

Ne formides adversitatem eorum, qui nocent noctu: noxam angeli mortis qui vastat interdiu: mortem qui in occulto serpens ex turbulenta pravitate diabolorum, qui perniciem inferunt in meridie. Raschi ad l. c. *דבר & קטב* nomina diabolorum *שמות שדיים* interpretatur cui pollicem premit AbenEsra vocem-
que

que מנורת שרים ex etymo diabolorum שרים derivat. Assentiuntur Philosophi Fluddiani; Helmontiani, alii. Sed iudicium magni Leibnitii ex specimine ejus dynamico inserto Actis Erud. Lips. 1695. p. 145. sq. huc convenire ac congruere videtur, qui p. 153. ita: *Nullam veritatem naturalem in rebus esse puto, cujus ratio immediate petenda sit ex divina (angelica) ratione vel voluntate, sed semper rebus ipsis aliqua a Deo esse indita, unde omnia earum praedicata explicentur. Certe non tantum corpora Deum creasse constat, sed & animas, quibus entelechia primitiva respondent. -- Quasi scilicet non omnia mechanice explicari possint in natura & quasi qui hoc conentur, incorporea tollere videantur, non sine suspitione impietatis. Quare assentior Thevenoto, qui L. I. c. 12. p. 183. ex continuis prodeuntibus sulphuris particulis vento meridiano mixtis originem venti Sammiel explicare contendit. Seneca Quæst. Nat. L. V. c. 14. Illud manifestum est, magnam esse sub terris vim sulphuris & aliorum non minus ignem alentium.*

§. 3. Restat igitur, ut ad rem ipsam nos accingamus & de vento Sammiel Psalmistam agere ostendamus. Psalmus noster videtur vel a Mose ipso vel ipsius nomine scriptus esse, quod ex cohærentia cum præcedenti Psalmo constare videtur & circumstantiis recte pensitatis. AbenEsra nobis favet, quæ ita: **יתנן שגם זה המזמור למושה או לאהר**

מהמטוררים Putatur hic etiam Psalmus esse Mo-
 sis vel alius poëte. Nocturna vastatio רבר Israelis
 ad confinia Palæstinæ versantibus exti-
 mescenda erat a populis inimicis finitimis,
 Amalekitis aliisque, qui insidias struxe-
 runt Mosi cum suis. Meridie vero ingruente
 ingruerat magis magisque tum naturaliter
 invalescens calidus ille ventus, luem infe-
 rens, noxius & mortifer, quem Arabiam
 perflasse Muhammed, Thevenotus aliique
 testantur. Deus vero benignus, autor na-
 turæ, se confidentibus ab Israelitis hæc de-
 trimenta abigere & propulsare poterat, suæ
 columna nubis interdiu protegens, vel tan-
 quam suæ præsentia symbolo erigens. Fidu-
 cia igitur in Deum propensa Israelitis
 inculcabatur, malis præsentibus
 superior.

Justi Martini GLAESE-
NERI,

Exercitatio (a)

De

EURO regioni Palestinae nocivo.

§. I.

Multifariam ac multis modis Deus voluntatem suam hominibus revelavit, simulque illis, qui mandata ipsius observant, remunerationem, transgressoribus vero legis divinæ poenam factis dignam statuit: Non unum vero poenarum genus constituit, sed illas pro ratione indolis hominum ac nationum modificavit. Statim a primordiis mundi Protoplastis in paradiso mortem minatus, si de fructu vetito comederent Gen. II. 17. quæ deinceps secuta est Gen. III.

Ss 3

19.

(a) Percommode haec exercitatio priori jungitur, quod una alteri lucem praebet. Data mihi autem illis est occasio de hac re cogitandi ulterius. Illa, quae de hoc vento mihi porro observata sunt, quibus non uni sacrarum literarum loco lux affundi potest, volente Deo in hac bibliotheca legenter propediem:
T. d. H.

9. Rom. VI. 23. Postea adhuc Deus Abrahamo posterisque ipsius filiis Israelitarum se uberius manifestavit, legem ac statuta sua variis poenarum generibus annexis illis dedit, si a via recta declinarent, utpote deletionem ex populo Gen. XVII. 14. ejectionem ex terra Canaan 1. Reg IX. 6. sq. potissimum autem Deus ad triplicem illam cupiditatem cardinalem, ambitionem, avaritiam & voluptatem respexit, illisque poenam opposuit Lev. XXVI. Deut. XXVIII. 1. Reg. III. 5t. 2. Sam. XXIV. 13. 1. Joh. II. 16. Sed hæc nondum sufficiunt, ad elementa quoque legum iste Conditor provocat, quæ supplicium de illis contemtoribus legis divinæ sumant. De aqua testatur submersio Ægyptiorum in mari Exod. XIV. 28. & Deus aquas fortes & inundationes magnas super impios se adducturum dicit Jes. VIII. 7. seq. XXVIII. 17. sq. Terra vindictam sumsit de rebeli cœtu Korah, Dathan & Abiram, quæ os suum aperuit ut viventes in infernum descenderint Num. XVI. 30. sqq. Ignem quoque se in terram Judæ immissurum qui ædes Hierosolymæ devoret, dicit Deus, propterea quod legem Dei abjecerint, mandata ipsius non custodiverint, sed idolis adhæserint Amos. II. 4. sq. Tandem aëre corrupto illos se percussurum dicit si a mandatis recesserint Deut. XXVIII. 22. Superest adhuc unum vindictæ genus nempe ventorum, quod etiam in aëre ori-
antur

antur, seorsim tamen a nobis pertractabitur. Speciatim vero Eurum in sacro Codice deprehendimus, qui; ut aliis nationibus ventus serenus ac amabilis; ita populis quibusdam Orientalibus nocivus, præsertim vero populo Israelitico ut species vindictæ divinæ proponitur, quem, paucis adjectis & collatis Itinerariographorum adnotationibus, collustrare nobis animus est.

§. 2. Non autem ipsius originem alte inquirimus, variis illius effectibus perpensis, satis contenti. Describitur autem in sacris literis ut ventus calidissimus ac ardentissimus, qui nimio suo calore fructus agri adurat, hominesque veneno inficiat. Ejusmodi effectum habemus Gen. XLI. 6. 23. 27. ubi spicæ Pharaoni in somnio שרפות קדים Euro adusta sunt visæ; hinc Syrus vertit

וְרוּחַ צָפוֹן וְרוּחַ יָבֵשׁ וְרוּחַ אֵשׁ וְרוּחַ יָבֵשׁ וְרוּחַ אֵשׁ וְרוּחַ יָבֵשׁ
 LXX. viralis simpliciter ἀνεμοφθοροί vento corruptæ. Arabs habet رِيحٌ آتٍ مِنْ قِبَلِ الْمَدِينَةِ ventum anteriorem s. meridionalem, cujus conciliationem & rationes ad (§. V.) adnotabimus. Nimirum Euri calorem ac vim in exsiccatione maris etiam perspicimus Exod. XIV. 21. unde Græcis καυσων redditur. Conf. Hiobi XXVII. 21. & Jerem. XVIII. 17. Hof. XIII. 15. ἀνεμος καυσων Jonæ. IV. 8. πνεύμα καυσων καὶ συγκαίων; vulgatus plerumque ventum urentem vertit, interdum aestum Hiobi XXXVIII. 8. Hof. XII.

2. Majores autem adhuc in terris istis Orientalibus videmus Euri effectus, qui non solum proventus terræ arefaciat; sed etiam homines pestilenti suo flatu ut ignis adurat. Testem hujus rei habemus Thevenotium in Itiner. Orient. P. II. L. II. c. XVI. p. 171. qui refert ventum istum calidum in Persia mense Junio ac Julio flantem, si halitu attrahatur, mox hominem suffocare, illiusque brachium ac ossa, ut carnem coctam manibus illius qui illum tangit, adherere, illumque persicè Badi-samour, id est, ventum venenatum vocari. Idem Thevenotius l. c. p. 172. eundem virulentum ventum in aliis quoque regionibus orientalibus inveniri, eosdemque mortiferos ac venenosos habere effectus, testatur, e. g. inter Mausilum olim Niniven, ut quibusdam placet, & Bagdadum olim Babylo-niam, sed perperam, ibique nomen Samiel id est venti venenati sortiri, de quo Thevenot. l. c. P. II. L. I. c. XII. p. 78. fere eadem recen-set, illumq; tempore æstivo a Mausilo ad Sou-ratam usque spirare, hominesque ab ipso ne-catos ut atramentum nigrescere. Ibidem P. II. L. III. c. V. pag. 198. exemplum ejusmodi hominis occisi affert, qui paucis verbis pro-latis, animam efflaverit. Ad hoc forsitan re-spexit Paraphrastes Chaldæus ad Deut. XXXII. 22. קרום תקף כאש *Ventus Ori-entalis fortis instar ignis.*

§. 3. Describitur Eurus nobis ulterius ut ventus procellosus ac vehementissimus, qui suo

suo vehementi flatu naves in mari contere-
 re, cedros ac arbores in sylvis diffringere di-
 citur. Testis est Hiobus XXVII. 20. sq. Nocte
 opprimet divitem tempestas. *Tollet eum ven-
 tus urens & auferet, & velut turbo rapiet eum de
 loco suo,* unde Rabbag ad h. l. מענין רוח סערה
ex significatione ventis procellosi s. turbinis; Et Je-
 rem. XVIII. 17. *sicut ventus urens dispergam eos
 coram inimico;* hinc Targum Jonathanis ad
 Hof. XII. 1. קרים turbinem reddidit: בית
 ישראל דמו לדרוח זרע ועלעול חצר
*comparatur ei qui seminat ventum & metit turbi-
 nem.* Hujus procellosi venti vim expertus
 Paul. Act. XXVII. 14. alio nomine ανεμος τυφω-
 νικος & ventus typhonicus qui vocatur Euroaquilo.
 Syrus טפון טפון: טפון טפון: טפון טפון
 טפון טפון & ventus procellosus s. turbinis qui voca-
 tur typhonicus ευροκλυδων s. Euroaquilo; retinuit
 vocem græcam quæ Eurum denotat tempe-
 stuosum, procellosum, paululum vergentem
 ad aquilonem (Conf. §. VI.) qui mare tur-
 bat fluctibus, unde τυφων lat. turbo Aul. Gell.
 Noct. Att. L. XIX. c. 1. Plinio Hist. Nat. L. II.
 c. 48. Typhon & vibratus Ecnephius dicitur.
 Arabs simpliciter habet; *Ventus vehemens no-
 mine typhonicus.* Ex Cretico enim littore par-
 tim meridiem partim occidentem versus im-
 pulsa est navis, Melitam videlicet, quæ in-
 ter Africam & Siciliam sita est. Cum præ-
 sertim timuisse dicantur, ne in Syrtim meri-

diem versus impellerentur. Hinc Beza ad h. l. eundem esse ventum, quem hebræi קדים vocant, recte contendit. Conf. Martinii Lex. Philol. ad voc. *Euro-aquilo*. Hujus vehementia non tantum in mari sed quoque in terra tam magna ut naves in mari, cedros ac arbores in sylvis diffringere dicatur ut Ps. XLVIII. 8. gravis εν πνευματι βίας in spiritu vehementi & Exod. XIV. 21. ανεμὸς βίας ventus vehemens vocatur, conf. Ezech. XXVII. 26.

§. 4. Hi venti typhonici hebræis קדים Indis *Orcanes* dicti, sunt venti impetuosi magna cum celeritate per omnes mundi plagas circa locum aliquem, vagantes, in aliis quoque regionibus interque Malaccam & Japoniam frequentissimi, talem inter Navazam & Jamaicam Americæ Insul: expertus prolixè & accurate describit Vincentius le Blanc Itiner. P. II. c. 22. Ex horum numero sunt Ecnephiæ, Portugallis *Travados* dicti, qui frequenter in Oceano Atlantico inter Brasiliam & Africam ad Caput Bonæ Spei etc. sentiuntur, quorum truculentiam magna hominum naviumque strage experti sunt Lusitani, antequam sufficienti oceani notitia imbuti essent, ut Joh. Pet. Maffejus Hist. Ind. L. I. Conf. Joh. Jac. Hoffmanni Lex. Univ. sub voce *Ventus*. Ejusmodi concitatissimos turbines in Arabiæ desertis itinerantes in primis qui Meccam adeunt, experiuntur. Ni-
mi.

mirum densa & atra nubes flammeis nube-
culis mixta; tenebras diei inducit, mox pro-
cella erumpit, cujus sævitia licet brevi re-
mittat, rubram tamen arenam tanta copia
in terram mareque spargit, ut integra sæpe
numero mercatorum societas Caravana 6000,
& amplius hominum sabulo obruta legatur.
Conf. Hoffmanni lex. Univ. ad voc. *Trava-*
dos. Simile fere exemplum adducit Theve-
notius l. c. L. II. P. I. c. XXXIV. p. 240. De
hujus venti vehementia conferatur quoque
Epist. Organtini Brixienfis L. IV. Select. Epist.
a Joh. Pet. Maffejo edit.

§. 5. In genere autem Eurus ut ventus
Israelitis nocivus ac minime gratus in scriptu-
ra sacra allegatur, proinde apud Es. XXVII.
8. רוח קשה *ventus durus* dicitur, uti Kim-
chius ad Hof. XII. 1. commentatur כי הוא
קשה שברוחות וטוקת לבני אדם *Quo-*
niam hic durus (Sc. Eurus) *inter ventos & nocens*
filiis hominum confer eundem ad Hof. XIII. 15.
Hinc Exod. X: 13. legimus Eurus locustas in
terram Ægypti advexisse, quæ omnem her-
bam terræ, fructum arborum & omne virens
consumserint. Interpretes græci verterunt
קרים bore - austrum, quos secutus Arabs, &
Drusius propterea in locis difficilioribus in
Exod. reprehendere conatus ad situm Ægypti
inspicientibus constat, mare rubrum, ex quo
locustæ advectæ, non esse Ægypto simpliciter
orientale, sed inter Orientem & Austrum me-
dium;

dium ; & sic קדים est ventus orientalis sed multum vergens ad Austrum. Quemadmodum & Pl. LXXVIII. 26. ventus iste qui advexerit coturnices in castra Israelitarum vocatur simul קדים orientalis & תימן australis, quia inter utrumque medius. Conf. Lud. de Dieu Animadv. in Exod. X. 13. & sic non male vocatur. Eodemque modo possunt conciliari, quæ (§. II.) de arabica versione ad Gen. XLI. 23. 27. subindicavimus, similiter Exod. XIV. 21. קדים ארבעה וצדו & Arabs ventum australem interpretati sunt.

§. 6. His de causis populi Israelitis ad Orientem habitantes comparantur cum Euro ob vim nocendi. Sic Ezech. XVII. 10. comparantur Babylonii cum Euro fructus siccante, id est exercitus Chaldæorum ab oriente veniens multos de populo occidet, quia Babylon sita est, ad orientem aquilonarem respectu Judææ & quia iste ventus in his regionibus fruges corrumpebat & naves diffringebat, ideoque in malum sumitur ut (§. III.) vidimus. Sic & Hof. XIII. 15. *Adducet Deus ventum urentem de deserto adscendentem: & siccabit venas ejus & desolabit fontem ejus & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis; nempe Rex Assyriæ ut Kimchius ad l. c. והוא מלך אשור והמשילו לקדים שהוא רוח מזרחית כי ארץ אשור מזרחית לארץ ישראל Et ille (sc. Eurus) est Rex Assyriæ quem comparant cum Euro qui est ventus orientalis quoniam terra Assyriæ orientalis est terra Israe-*

Israelis. Sunt autem Reges Phul 2. Reg. XV. 19. Thiglath Pilleffer v, 29. Speciatim vero Salmanasser c. XVII. 3. a Propheta hic indigitatur qui adscendens Samariam obsedit illam. Dicitur autem iste e deserto adscendisse vel profectus per Syriæ partem desertam 1. Reg. XIX. 15. nam hac iter Assyriis in Samaritidem. Magna enim pars Arabiæ desertæ ab oriente Judææ inter Babyloniam & Judæam fuit interjecta. Ex hac solitudine flabant venti validissimi unde Targum Jonathanis & Raschi ad Hof. I. c. קדים מלך חקף *Eurus est Rex fortis instar venti orientalis ex via deserti adscendentis.*

§. 7. Non autem quolibet anni tempore sed certis quibusdam mensibus Euri violentia sentitur, proinde Es. XXVII. 8. addit *קדים ביום* in die Euri, i. e. tempore ad hanc violentam ablationem destinato; sicut Euro statutum est certum anni tempus quo spiret & vehementi suo flatu obvia quæque abripiat. Hoc quoque notavit Thevenotius l. c. P. II. L. II. c. XVI. p. 171. & L. III. c. V. p. 198. Eurum non quolibet anni tempore, sed certis duntaxat mensibus Junio sc. & Julio suam vim ac pestiferos effectus edere, scribit; & P. II. L. III. c. X. p. 230. addit: Tribus istis mensibus Julio, Augusto ac Septembri Bassoræ S. Balsæræ æstum esse vehementissimum ac fere intolerabilem præsertim Libanoto spirante, & anno

1665. mense Julio intra spatium viginti dierum 4000. homines a vento Samiel fuisse consumptos.

§. 8. Causas physicas si spectemus fere omnes in uno consentiunt, illas exhalationibus Sulphureis montium in Oriente tribuentes. Sunt quidam, qui plantæ cuidam nomine Kherzebreh virulentum istum flatum adscribant, unde istam Badisamour id est ventum pestiferum Armeni vocant. Hanc sententiam retulit & refutavit sæpe citatus Thevenotius P. II. L. II. CXV. p. 171. sq. 198. sq. Verius cum Thevenotio statuimus P. II. L. I. c. XII. p. 78. qui exhalationibus montium sulphureis per ventum exagitatis ac arenosis terræ regionibus adscribunt, quæ corpus quod intrant, incendunt; in mari vero ab exhalationibus aqueis ac vaporibus disseminantur ne vim nocendi ac incendendi exercere possint. Joh. Jac. Hoffmannus in Lex. Univ. sub voce *Travados* ex Lud. Vartomanni Itiner. L. I. c. XII. easdem ferè adducit rationes: In monte quodam Promontorii Bonæ Spei, Belgis *Der Tafelberg* dicto, observari primo minimam nubeculam, mox totam montis operiri latitudinem. Ex montis vertice autem tam validum emitti ventum e vestigio, nullamque tam bene compactam esse navem quam vis ejus non ex facili frangat: Sic ventum orientalem Deus per Arabiæ deserta in Palæstinam ad vindicandam populi improbitatem immisit.

fit. Incolis vero Bassoræ s. Balsæræ libano-
tus per ista Arabiæ deserta spirans est lethalis
Thevenot. P. II. L. III. c. X. p. 230.

§. 9. Hinc videmus rationes, quæ miseras
impulerunt gentes, ut ventos pro Diis habue-
rint, illis sacrificarint, templa ac ædificia in
honorem venti extruxerint. Non dubitan-
dum, quin ante omnia eos moverit eorum stu-
penda violentia, qua arbores frangunt vel
evellunt, ædificia prosternunt, vastas in mari
naves mergunt. Hanc rationem quoque af-
fert Autor de Herrera in *Der Bescrijv. van
West-Indien* referente Christoph. Arnold
in *auserlesener Zugabe zu Abraham Rogers
offenen Thür zum verborgenem Heydenthum* p.
952. Mexicanos in Nova Hispania ventos co-
luisse ob magnam istorum violentiam, locis
in mari sitis, sæpius terribilem. Autor libri
sapientiæ, qui Philoni vulgo inscribitur, hu-
jus *α'νεμολατρείας* meminit c. XIII. i. sq. *Ete-
nim vani inquit sunt omnes homines natura, in qui-
bus inest ignorantia Dei, & qui ex iis, quæ spectan-
tur, bonis, eum, qui est, non potuerunt intelligere;
neque ex operibus consideratis opificem cognoverunt:
Sed aut ignem, aut VENTUM -- rectores mundi
DEOS esse putaverunt.* Persæ ventum &
aquam pro Diis habuere iisque sacrificarunt te-
ste Herodoto L. I. c. 131. *ἱεροὶ καὶ ὕδατι καὶ
ἀνεμοῖσι* sacrificant & aquæ & ventis, similiter
Strabo L. XV. *τιμῶσι δὲ καὶ ἀνεμῶς καὶ ὕδατος* co-
lunt & ventos & aquam. Sic Peruani ventos sa-
sa-

sacrificiis coluerunt iisque divinitatem attribuerunt, uti Christoph. Arnold. l. c. p. 990. Phœnices etiam ventos coluisse, ex Phœnicia Sanchuniathonis Theologia liquet; Ex qua Eusebius L. I. de Præparat. Evangel. refert, Usonem Phœnicem templum iis posuisse. Græcos iussit Oraculum Delphicum *ανεμοισι ευχεσθαι* ventis supplicare, illos enim maximos fore Græciæ auxiliatores contra adventantem Xerxis exercitum. Itaque in delubro Thujæ, Cephissi filiz ara est ventis constituta, iisdemque sacrificatum, teste Herodoto L. VII. c. 178. Addit: Delphi propter hoc oraculum nunc quoque *τῆς ἀνεμῶς ἰλασπονται* ventos propitiant, In Sicyoniæ urbe Titane, descendenti a vertice, ubi templum Minervæ *βαμθ εἰν ἀνεμων* ara est ventorum; ad quam sacerdos quotannis nocte una sacrificat *ἡμερῶν τῶν πνευματων το αγριον* ad placandam ventorum sævitiem, Plato in Phædro aram ab Atheniensibus Boreæ esse constitutam testatur. Ipse etiam Augustus Cæsar Circio, vento Galliæ, valdeque infesto sacrificavit, illique templum fecit ut Seneca habet Nat. Quæst. L. V. c. XVII. Conf. Vossium de O. & P. Idolol. L. III. C. I. sqq.

Jo. Georgii SCHELHOR-
NII

De Baptismo pro mortuis
ad I. Cor. XV. 29.

Exercitatio.

S U M M A R I U M:

Hæc verba Pauli *δυσκοιτα*. §. 1. proponitur sententia eorum, qui το βαπτισμα metaphorice exponunt. §. 2. Loca quædam Heliodori, hunc significatum probantia. §. 3. ut & Libanii, Plutarchi. *βαπτισμα ὑπνω*, somno sepeliri. §. 4. calamitates in S. Scriptura fluctibus & inundanti aquæ conferuntur, quod nec profanis autoribus insolitum. §. 5. *νεκροι* mortui spiritualiter. §. 6. Dubiis quibusdam respondetur. §. 7. 8. Aliæ conjecturæ de hujus loci sentu, verbo *βαπτισμα* proprie accepto, *ὑπερ των νεκρων* vel reddendum est pro cadaveribus. §. 9. vel ea phrasi notantur, quæ in homine naturali sunt mortua, i. e. peccata & natura corrupta. §. 10. vel *βαπτισμα ὑπερ των νεκρων* est, eo fine baptizari, ut mortui tandem salutem æternam consequamur. §. 11.

§. 1.

Qui divinas attentiori studio scrutantur literas, ad unum, ni fallor, omnes ingenue mecum fatebuntur, esse in iis haud pauca, de quibus non nisi conjecturando animi tui sensa pandere queas. Mihi profecto semper placuit eorum modestia, qui in rebus dubiis atque involutis ultra suspiciones progredi noluerunt. Nido majores extendimus pennas, & inflatum arrogantemque prodimus animum, si quævis in Sacro Codice obscura ad liquidum nobis explorata esse prætendamus. Multa sane non nisi per caliginem cernimus. Pereleganter Divus Hipponensium Præsul: (a) *Quid? inquit, Ipsa divina eloquia nonne palpantur potius, quam tractantur a nobis, dum in multo pluribus quærimus potius, quid sentiendum sit, quam definitum aliquid fixumque sentimus?* Et ea cautio, cum sollicitudinis plena sit. multo melior est tamen, quam temeritas affirmandi. Ipsa illa, quæ nunc aliquantum, si pote, illustrare conabimur, Sancti Pauli *duoyonra* verba documento nobis esse poterunt, quod subinde in sensu sacrorum Scriptorum investigando aqua nobis hæreat, & si quid de eo differere velimus, in conjecturis tantummodo acquiescendum sit. Inspice modo, si vacat, penitius magna interpre-

(a) Epist. 250. p. 954. edit. Altdorf.

pretum, etiam probatissimorum; circa hunc locum divortia; & experieris, quot eorum capita, tot sensus esse. Parum abest, quin quaestionem de mente Apostoli in hisce verbis in earum (aa) referam censum, de quibus ingeniosissimus Poëta & Theologus, Sam. Werrenfelsius. (b)

Ad quaestiones plurimas

Doctissima est responsio;

Cum, nescio, ais, vel, non liquet.

Licebit tamen, ut spero, pace tua, quamvis nil certi hic pronunciare ausim, dicere, quid

T t 2

fen-

(aa) Fecit id sane pereximius Gallorum Theologus *Claudius*, cujus haec verba sunt in *Opp. posth. T. V. p. 13.* Je n'ay rien de particulier sur ce passage: I. Cor. XV:29. Je suis persuade, que l'eclaircissement en depend de quelque fait particulier, dont il ne se trouve rien dans l'histoire; je croi, qu'il est inutile de s'y alambiquer l'esprit. Vous scavez les diverses expositions, dont il n'ya aucune, qui me contente --- Je vous assure, que c'est forcer nature, que d'entreprendre de trouver & de donner le vrai sens à ce passage. Je pense, qu'il y a de vint explications, mais apres les avoir toutes examinees, la mienne, que j'estime la meilleure, est de dire, **JE N'EN SAI RIEN.** Nous le scaurons, quand Dieu sera en tous. Parum abest, quin huic sententiae pollicem premam. T. d. H.

(b) Fascic. Epigramm. p. 870. Opusculorum Bassi, 1718. junctim editorum.

sentiam; forte Tibi hinc enascetur occasio,
meliora & magis certa publico impertiendi.

§. 2. Ex omnibus Interpretum sententiis,
quas recensere longum foret, mihi ad verita-
tis similitudinem videbatur olim esse propen-
sior istorum, qui βαπτίζεσθαι sensu metapho-
rico idem heic esse, ac calamitatibus immergi,
asserunt. Certe ærumnæ Pauli ejusque συρρη-
γών quales ac quantæ fuerint, norunt ii, qui-
bus diviniõres literæ curæ sunt cordique. Mi-
ramur merito insignem eorum in adversis fe-
rendis virtutem & prorsus heroicam. Mala
enim, quæ pleno in eos impetu nunquam non
uebant, haud sane fuerunt vulgaria, sed ex
illorum numero, quæ homini, naturæ dun-
taxat viribus instructo, divini autem Spiritus
experti, plane intolerabilia fuissent. Hinc
divus Apostolus ea sæpe ἐμφανητέως descri-
bit, suorumque in solamen vivis coloribus de-
pingit. Nec sane nullius ponderis argumen-
tum pro resurrectione mortuorum stabilienda
præbere poterant extremæ calamitates, qui-
bus cervicem submiserunt egregii isti primæ
Ecclesiæ Doctores. Quid enim, quæso, fe-
cissent sanctissimi Viri, omnium commodo-
rum suorum temporalium, immo & vitæ
ipsius prodigi, si mortuorum resurrectio
omnino nulla foret?

§. 3. Sed dispiciamus jam paulo curatius,
num verba Apostoli hanc interpretationem
ferre queant. Vocem βαπτίζεσθαι, quæ pro-
prie

prie immergi & demergi aquis notat, rariorem quidem profanis Scriptoribus, non autem inusitatam esse indicat Vir consummatissimus Chr. Cellarius. (c) In sacris quid eo verbo significetur communiter, notius est, quam ut multis demonstrare opus sit. Nec tamen desunt Novi Fœderis loca, quæ tralaticio etiam sensu istud de calamitatum fluctibus, quibus obruuntur sæpe fideles Christi servi, usurpant ostendunt. His adducendis super sedemus, cum alii hoc labore jam functi fuerint. Testimonia exterorum Scriptorum, metaphoricam hanc notionem probantia, nemo hactenus, quod sciam, in medium protulit, si exceperis comma aliquod Libanii, a Cel. Majo (d) allatum. Nec mirum: cum enim monente Cellario, qui veterum Autorum omnes perreptavit angulos, minus frequenter ea vox proprio significato inibi occurrat, multo adhuc rarius sensu tralaticio acceptam in iis deprehendi necesse est. Dabimus tamen nos quædam ejus rei exempla: primo quidem trigam ex uno Scriptore, Heliodoro videlicet, cujus elegantia nemini non commendata est. L. II. C. III. Æthiopic. Ὁ δε κνημων ὁλον ὄντα πρὸς τὴν παθεὶ κατὰ μαθῶν, καὶ ἰν ΣΥΜΦΟΡᾶ ΒΕΒΑΠΤΙΣΜΕΝΟΝ, δεδῶς τε μηπκα- ην ἑαυτῷ ἐργασηται. i. e. *Cnemon itaque cum*

T t 3 omni-

(c) in Additamentis ad Dissertat. I. de Joanne Baptista ejusque carcere & Supplicio.

(d) Observat. SS. Lib. II. p. III.

omnino dolori illum succubuisse & calamitate submersum esse intellexisset, metueretque, ne sibi aliquid mali conscisceret &c. L. IV. C. 20. ὡ παρόντες, χαλεκλείμεν ἔξεσαι νυντε καὶ μετὰ ταῦτα θρηνεῖν, ἡμεῖς δὲ μὴ ΣΥΜΒΑΠΤΙΖΩΜΕΘΑ τῷ τῆς ΠΑΘΕΙ, μηδὲ λαθώμεν ὡσπερ ρευμασι τοῖς ἰσθμῶν δακρυοῖσιν ὑποφερομένοι, καὶ τὸν καιρὸν περιεμένοι. O vos, qui adestis, Charieli quidem & postea lugere licebit. Nos vero non mergamur huius dolore, neque inconsiderate illius lacrymis, tanquam aquæ impetu auferamur, occasionem negligentes. L. V. C. 16. ἐπειδὴ σε τῷ ΣΥΜΒΕΒΗΚΟΤΑ ἔβαπτίζεν, quoniam te casus tui obruebant ac demergebant. Ita & eo sensu venit L. II. C. 27. ejusdem auctoris verbum βυθίζεσθαι. πλείονι κλυδωνι κακῶν βεβυθισμένοι, majore fluctu ærumnarum obruti. Sic etiam, quod obiter noto, Chrysostomus: μυρίαῖς βαπτίζομεν φροντισίν, innumeris immerfus curis. it. ὑπὸ πλείονος φρονιδῶν τὸν νῦν βεβαπλισμένον ἔχοντες. Pariter ἀβαπλις ψυχή Basilio M. est anima, quæ contra quamvis tentationum & persecutionum procellam immota stat. Verba ejus egregia, ut & quædam Theodoretī huc pertinentia exhibet (e) Suicerus.

§. 4. Libanius: (f) ἡ γὰρ ἐπὶ τῷ δευτέρῳ βαπτίζουσα μὲν τὴν ψυχὴν, συνδολοῦσα δὲ τὴν γυναικὴν ἀχλὺν πνέουσαν καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖσιν ἐπιφέρει, καὶ μακρὸν τὸ διαφερομένον τῶν ζωνίων νυν εἰς σκόλω. h. e. Ea enim

(e) in Thesaur. Eccles. f. 3. T. I.

(f) In Parentat. Juliani Cap. CXLVIII. p. 369. Fabricii Bibl. Gr. Vol. VII.

enim, quam ob Julianum sentimus, tristitia, animam
 submergens, mentemque obsuscans, tenebras
 quasdam oculis quoque offundit, nec multum ab
 iis, qui in tenebris nunc versantur, distamus. Plu-
 tarchus: (g) ὡςπερ γὰρ τὰ φυτὰ τοῖς μέ-
 τριοις ὕδασι τρεφεῖται, τοῖς δὲ πολλοῖς πνιγέται. τὸν
 αὐτὸν τροπὸν, ψυχὴ τοῖς μέν συμμετροῖς αὐξεται πο-
 νοῖς, τοῖς δ' ὑπερβαλλούσιν βαπίζεται. Sicut enim
 plantæ quidem mediocribus aquis nutriuntur, pluri-
 mis vero suffocantur: ad eundem modum anima
 quidem mediocribus augetur laboribus, sed immo-
 deratis submergitur. Ita & Poëta anonymus: (h)
 βαπίζεται ad somnum transfert:

Βακχὸς μέτρον ἀείσον, ὃ μὴ πολὺ, μὴδ' ἐλαχί-
 στον,
 ἔστι γὰρ ἡ λυπῆς αἰτία, ἡ μανικῆς.
 χαίρει κίρναμεν τρισινυμφαῖς πῖρατ' αὐ-
 τός,
 Τημεῖο καὶ θαλαμοῖς ἐστὶν ἐπιμοταίε.
 ἔτι δὲ πολὺς πνεύσειεν, ἀπετραπῆαι μέν ἐρωτῆς.
 βαπίζεται δ' ὑπὸ γένοι τῷ θανάτῳ.

interprete C. Velio Ursino:

Sumere nec nimium, Bacchi valet optimus
 usus,
 Nec minimum; hinc moeror provenit, inde
 furor.

Tt 4

Quar.

(g) De Puerorum educatione. Cap. XIII.

(h) Antholog. Gr. L. II. C. XLVII.

Quartus & ipse tribus Nymphis miscerier
optat,

Tunc quoque sic lecto convenit ille magis.
Sin nimius spiret, placidos avertit amores,
Mergit & hunc letho proximus ipse sopor.

Vides heic βαπτίζεσθαι τῷ ὕπνῳ esse per me-
taphoram somno sepeliri, quam phra-
sin etiam alicubi in Heliodoro legisse me-
mini.

§. 5. Pervulgatum est, calamitates in S.
Scriptura haud raro fluctibus & inundanti
aquæ conferri, de iisque, qui multa subeunt
mala, dici, quod profundis immergantur
fluminibus, obruantur fluctibus & procel-
lis &c. de quo cum nemo dubitet, non est,
quod exempla, ubivis obvia, anxii conqui-
ramus. Sed & τοῖς ὑπὸ τῶν θεῶν hæc loquendi ra-
tio non est insolens. Ex innumeris, quibus
id comprobari posset, pauca tantummodo af-
feram. Sic Æschylus in Supplicibus, ejus,
ut & sequentium, verba brevitatis studio la-
tine saltim dabo: *Agmen malorum fluminis
ritu ingruit, velutque pelagus altum, ita ut fun-
do vacet, nec sine periculo navigetur maxime.*
Ita & Sophocles Oedip. Tyr. *Urbs enim, quem-
admodum ipse vides, ingenti fluctu quassatur, nec
levare caput amplius potest ex profundis procellis.*
Hunc in modum etiam Philetas in Cerere
apud Stobæum Sermon. 102. *Per multis equi-
dem semper immersus es malis, anime mi.* Hæc
quo-

quoque collimat vetus proverbium ; κακων
 πελαγος, de quo paroemiographi: nec non
 illud Heliodori L. V. C. 20. κυμα (Φησιν) ἐπι
 κυμα προσεβωλεν ο δαιμων, fluctum, ut ajunt, su-
 pra fluctum numen advolvit. Et quid, fodes,
 ipsa hac metaphora frequentius est Ciceroni,
 Romanorum disertissimo?

§. 6. Sed ut tandem ad locum Paulinum
 redeamus, eum aliquando sic commodissi-
 me transferri posse arbitrati sumus: Quid
 facient ii, qui plurimas subeunt calamitates,
 iisque velut immerguntur, pro mortuis, spi-
 ritualiter scilicet i. e. gentibus ad Christum
 convertendis, si mortui omnino non resur-
 gant? Cur tantis se ærumnarum fluctibus
 objiciunt? Cur & nos periclitamur omni
 tempore? Ut sic Apostolus, qua fuit mode-
 stia & animi demissione, primo argumen-
 tetur a calamitatibus συνεργων, deinde ad su-
 as afflictiones progrediatur. Per νεκρως sty-
 lo Scripturæ nonnunquam indigitari Spiri-
 tualiter mortuos peccatoque mancipatos, ne-
 mo ignorat. Memoratu tamen dignum est,
 & τοις εξω hunc fere morem fuisse. Nota-
 bilis est locus Clementis Alexandrini: (i)
 Φασι γ' εν ιππαρχον τον πυθαγορειον αιτιαν εχοντα
 γραψασθαι τα τε πυθαγορε σαφως, εξελαθηναι της
 διατειβης, και σηλην επι αυτω γενεσθαι οια νεκρω.
 Διο και εν τη βαρβαρω φιλοσοφια νεκρως καλσαι
 τες εκπεσοντας των δογματων, και καθυποταξαντας

Τε 5

τον

(i) Lib. V. Stromatum:

τοῦ ἕντος τοῖς παθεῖν τοῖς ψυχικοῖς. Ajunt certe Hip-
parchum Pythagoreum accusatum, quod aperte
scripsisset decreta Pythagoræ, expulsus fuisse e
Schola, & ob id ipsum, tanquam mortuo, imposi-
tam columnam fuisse. Quocirca etiam in barbara
philosophia vocant mortuos eos, qui exciderunt a
dogmatibus, & mentem subjecerunt animæ per-
turbationibus. Sic Seneca (k) eos, quibus in
solo vivendi causa palato est, mortuis ac-
censet, his verbis: *Non fames nobis ventris no-
stri magno constat, sed ambitio. Hos itaque (ut
ait Sallustius) ventri obedientes animalium loco
numeremus, non hominum: quosdam vero ne ani-
malium quidem, sed mortuorum. Vivit is, qui se
utitur: qui vero latitant & torpent, sic in domo
sunt, tanquam in conditivo. Horum licet in limi-
ne ipso nomen marmori inscribas, mortem suam an-
tecesserunt.*

§. 7. Non equidem me fugit, sententiæ
huic, de qua huc usque differuimus, objici,
quod verbum βαπτιζέσθαι sensu metaphorico
nuspian occurrat absolute positum, sed sem-
per cum aliquo adjuncto, ut v. 9. cum
τῇ συμφορᾷ, τῶ παθεῖν, πῆς συμβεβηκοσι &c.
construatur. Sed existimo, eandem esse
vocis βαπτιζέσθαι naturam cum Latina premi,
& Græcis eam exprimentibus, quæ haud
raro

(k) Epist. LX. f. 488. conf. Epist. CXXII. p. 669. sq.
ubi inter alia: *Isti vero mihi defunctorum loco sunt.
Quantulum enim a funere absunt, & quidem acerbo,
qui ad faces & cereos vivunt?*

raro absolute & ἐπιπικως ponuntur, cum alias vocem quandam sibi adjunctam habeant, ut e. g. interdum dicatur sine annexo, premi, interdum vero plenius, premi calamitatibus, earum onere, & sic porro. Quod cum in confesso sit, de illius rei exemplis jam non sumus solliciti. Præterea non profus desunt nobis exempla, e quibus perspicias, βαππζεσθαι etiam absolute positum eo venire sensu, quem heic quærimus. Ita Plutarchus hunc Sibyllæ versum refert: (1)

Ἄσκησθαι βαππζην, δύναμι δὲ τοῦ ἐπιπικῆσθαι.
 Ipse madebis uter, sed non fas mergier unquam. Videbis, contextu inspecto, figurate hæc exponenda esse de fatiis urbis Atheniensis. Pariter Cornelius Nepos de Dione: (m) *Has tam prosperas, tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio; quod fortune sue mobilitate, quam paulo ante extulerat, DEMERGERE est adorta.* Sic etiam Cicero de seipso alicubi, quanquam locus nunc non succurrat, patriam, ait, DEMERSAM extuli.

§. 8. Si quæras, quare potissimum metaphora Paulus hic loci usus fuerit, et cur non potius dixerit: quid facient ii, qui affliguntur pro mortuis, vel gentilibus &c. istud me nescire ingenue fateor. Nec sane semper interpretes rationes edisserere queunt, qui-

(1) In Theseo. f. 11.

(m) Cap. VI.

quibus docti Viri θεοπνευστοι hoc, & non alio modo, sententias suas elocuti fuerint. Forſitan ea phraſis divo Apoſtolo ideo arriſit, ut ſic eo ἐμφατικωτερος depingeret calamitates fidelium, atque adeo argumento ſuo fortius adverſarios iſtringeret. Inſtas: at verba Pauli fidei articulo argumentum præbent, hinc propriis, haud figuratis illum uſum eſſe eſt probabile. Non diffiteor: & mihi vel maxime placeret iſtiusmodi expoſitio, quæ, ſignificatu τῆς βαπτιζομένης in N. T. familiari retento, congruum ex Apoſtoli verbis eliceret ſenſum, de quo poſtea noſtras Tibi conjecturas dabimus. Veruntamen notare liceat, metaphoras obſcurare non ſemper ſenſum Autoris, qui forte notior eſſe potuit Corinthiis, quam nobis eſt. Dantur sæpe locutiones metaphoricæ, quæ vel a pueris haud difficulter intelliguntur, eadem ſe perſpicuitate commendantes, quæ propriæ. Objicis porro, verbis Pauli ſic explicatis, facile eludere potuiſſe ejus argumentum adverſarios, hac reſponſione: delirare eos, qui tantis calamitatum fluctibus fruſtra involvi & quaſſari ſe patiantur, vel ambitioni ipſos litare, nominisque immortalitatem hac ratione quærere. Sed reſpero, non opus eſſe, ut ſingula argumenta, quæ alicui rei probandæ inſerviunt, eodem ſemper robore eademq; concludendi vi polleant. Æqui & mente præditi adverſarii probabilia etiam argu-

argumenta non sine ratione respuunt. Tales an Paulus habuerit, ignoro. Hoc autem probe novi, id argumentum prorsus non elumbe atque ineptum visum fuisse viro divino, quod opponeret adversariis. Nonne enim isto ipsos versu mox sequenti ita stringit: *Τι καὶ ἡμεῖς κινδυνευομεν πᾶσαν ὥραν*; conf. v. 32. Sed illud ipsum, fatebor enim, facit præcipue, ut in hac, quam huc usque probabilem reddere annisus sum, conjectura non plane acquiescere queam, quod verosimile haud sit, in brevi adeo & concisa disputatione eandem rem toties totque verbis inculcasse Apostolum.

§. 9. Nunc videamus, num ea τῆ βαπτί-
ζεσθαι notione, quæ in N. T. scriptis famo-
sior & maxime recepta est, servata com-
modus ex Pauli argumento elici queat sen-
sus, ita, ut nulla vis ejus verbis inferatur.
Cum vero in variis eorum, quos hanc in
rem consului, interpretationibus non sit, ubi
pedem tuto figam, meis jam indulgebo con-
jecturis, quas tamen meliori Lectoris judi-
cio modeste submitto. Scilicet auguratus
sum, an forte ὑπὲρ τῶν νεκρῶν significet PRO-
PTER CADAVERA, ut hæc sit Apostoli
mens: Quid facient ii, qui baptizantur pro-
pter cadavera, si mortui omnino non resur-
gunt? Cur baptismi lavacro se tingi sinunt?
Ita enim profecto est, animæ immortalitate
& dehinc resurrectione etiam corporum
sub-

sublata, homo post obitum non nisi miserum
 cadaver est: & *αἶψον* foret, nulliusque pla-
 ne usus, si per baptismum jugum Christi sub-
 ires, post mortem nulla tui parte superstes:
 cadaver enim hominis defuncti vermibus in
 escam cedit, mox in cineres resolvendum.
 Voces *νεκρὸς* & *νεκρὸν* passim apud optimos,
 Scriptores denotare cadaver, vel pueri no-
 runt, adeoque nulla probatione indiget. Le-
 xica etiam plena tibi manu hujus rei exem-
 pla suggerent. ὕπερ vero nonnunquam idem
 esse ac *ἐνεκα* vel *χαριν*, aliis jam ostensum est.
 Uno tamen exemplo, nostro valde gemino,
 utar. *Ælianus*: (n) *ἐπεὶ δεκαπλαβε τον πλο-*
λεμαϊον ὙΠΕΡ ΤΟΥ ΝΕΚΡΟΥ μαχη κερπερ πανυ
σφοδρα ἐγενετο. Postquam vero apprehendit *Pto-*
lemæum, acerrima pugna propter cadaver (*Ale-*
xandri) orta est. Nimirum refert ibi *Ælia-*
nus, *Alexandrum M.*, cum præfecti ejus de
 regno per seditiones contenderent, post mor-
 tem triginta diebus inhumatum carentemque
 sepulcro fuisse relictum: donec *Aristander*
Telmiffensis, seu divino numine percitus,
 seu alio quodam casu correptus, in medios
Macedones progressus, indicaverit: Deos
 sibi notum fecisse, futurum, ut quæcunque
 terra corpus ejus exciperet, in quo primum
 ipsius anima habitavit, felicissima & ab ho-
 stium incursionibus in perpetuum libera fo-
 ret. His auditis, pro se quemque summo
 studio

(n) *Var. Hist. L. XII. C. 64.*

studio fuisse anaisum, ut in suum regnum corpus ejus transferret, & thesaurum hunc possideret. Ptolemæo autem id obtigisse felicitatis, ut eo cimelio potitus, in Alexandriam istud deportaret. Tum Perdiccam ipsum persecutum esse: postquam vero eum deprehenderit, acerrimam de cadavere pugnam fuisse ortam, ex qua Ptolemæus victor recessit. Hac ratione nec proprius vocum significatus desereretur, nec argumentum Apostoli suo privaretur pondere. Nonne enim, qui baptismi sacramento initiatur, & Christo sic nomen dat: severæ se obstringit Christianorum disciplinæ? Nonne in se recipit membrorum terrestrium mortificationem, nonne perpetuam pugnam cum carne, Satana, mundo? adeoque sibi grave jugum imponit? Cui vero bono ista omnia fierent, nisi aliquando mortui resurgerent, & a Deo misericordie præmiis fidei, patientiæ, constantiæ aliarumque virtutum æternis donarentur? Sane resurrectionem mortuorum si sustuleris, Christiani propter cadavera, mox in cineres resolvenda, baptizari solummodo videbuntur, atque adeo delirii & stoliditatis notam vix effugient, qui duris Christianismi legibus se submittunt, in hac vita, (illo saltim tempore, quo Paulus scribebat,) & post mortem etiam nihil remunerationis obtinentes. Nonne satius foret, genio indulgere suo, & tantis difficultatibus, tamque gravi

gravi luctæ se subducere? Plus huic sententiæ tribuere cœpi, cum nuperrime perspiccerem, eodem, nisi me omnia fallunt, tendere cogitationes Celeberrimi Basiliensium Theologi, Sam. WERENFELSII, (o) qui sic D. Apostoli mentem exponit: Si mortui omnino non resurgunt, quid igitur facient, i. e. perperam & stulte facient illi, qui baptizantur, & per baptismum se obstringunt ad severam Christianorum disciplinam, omnibusque malis & periculis, quibus hi expositi sunt, se objiciunt; qui omne id faciunt pro mortuis, in gratiam mortuorum; intellige, non mortuorum a baptizatis diversorum, ut hoc primo intuitu videtur, sed ipsorum illorum baptizatorum, quando erunt mortui. Vult nimirum Apostolus ita emphatice notare stultitiam talium hominum, qui faciunt aliquid valde onerosum & periculosum, ex quo tamen nihil utilitatis capere possunt, nisi quando erunt mortui, i. e. cum nihil amplius sentient. Hæc ille: qui pluribus hanc sententiam solide firmat. Gavisus sum, cum viderem, Virum Summum eam hic ingressum esse viam, quæ jam antequam ipsius erudita opera in manus meas incidissent, mihi arriserat.

§. 10. Vel το νεκρῶν possit esse genitivus neutrius adjectivi, νεκρῶν, ut sic hac voce indigentur ea, quæ in homine naturali, per baptismum regenerando, sunt mortua, peccata videlicet, & natura hominis corrupta. Sic enim

(o) Cogitat ad loca N. T. p. 336. sqq.

enim Paulus alibi peccata opera vocat mortua. Et de Baptismate Clemens Alex. Pædag. L. I. C. VI. f. 93. δι' αὐτῆς τῆς ἀμαρτίας ὑπορρυπτι-
 μεθα, per illum peccata abstergimus & Chry-
 sostomus: τὸ ἀμαρτημάτων ἀφανίζει π λυτρῶν,
 lavacrum (baptismi) peccata delet. vid. J.
 C. Suiceri Observat. SS. C. III. p. 73. Nec sic
 enim destitueretur Pauli argumentatio suo
 pondere. Quid enim opus esset, per bap-
 tismum peccata & mortem exuere, Christum
 vero induere, si mortui omnino non resur-
 gunt, adeoque etiam nulla post obitum pec-
 cati ratio haberetur, homine eis ἔθεν redactō?
 Forsitan ut in hac tantum vita Dei fruamur
 gratia, & felices tranquillique vivamus? At
 haud raro impiis, peccatoque semper litanti-
 bus obtingunt fata ad vota fluentia: piis vero
 sæpe bonæ felicitates omnes adversæ sunt, ut
 cum Terentio loquar.

§. II. Cum animum hisce volutarem cogi-
 tationibus, en! alia adhuc verba Pauli expli-
 candi ratio succurrit. Videlicet egregie mo-
 net Godofr. OLEARIUS, ὁ μακαρίτης, (p)
 supposito eo, quod de baptismo hic agatur,
 necesse esse, ut argumentum petatur ex eo,
 quod indoli, naturæ ejus & institutioni pro-
 prium maxime sit atque conveniens. Jam
 cur, quæso, baptizamur? nonne, ut pecca-
 torum remissionem obtineamus? Hinc Joan-
 nes dicitur κηρυσσῶν βαπτισμα μετάνοιας εἰς ἀφε-
 σιν

Class. VII. Fasc. IV. Uu

(p) Disput. in h. l. §. 2,

εν ἀμαρτιῶν Luc. III. 3. cf. Act. II. 38. XXII.
 16. Cur vero peccata nobis remitti postula-
 mus; nisi ea præcipue ratione, ut tandem sa-
 lutis æternæ fiamus compotes? Ubi enim re-
 missio peccatorum, ibi salus & vita. Porro
 nonne ideo baptismi lavacro tingimur, ut sic
 regeneremur, ut filiis Dei accenseamur, ut
 denique hæredes vitæ æternæ evadamus? cf.
 Tit. III. 5. sqq. Nonne baptismus est sigillum
 salutis? Nonne huic initiationis sacramento
 ab ipso Christo, cæteris paribus, adscribitur
 beatitudo æterna Marc. XVI. 16? Eleganter
 Celeberr. Witsius emersionem ex aqua novi
 hominis ad spiritualem vitam suscitati, imo
 resurrectionis futuræ symbolum fuisse docet.
 (q) Profecto finis baptismi ultimus est salus
 æterna. Hinc Gregorio Nazianzeno apud
 Suicerum l. c. baptisma vocatur ἄχρημα πρὸς
 Θεόν, κλεις ἐργῶν βασιλείας. Nunc ulterius
 infero: si eum potissimum in finem baptiza-
 mur, ut tandem vitæ cœlestis gaudia perci-
 piamus, sequitur, commode dici posse, nos
 baptizari pro mortuis, i. e. ut primario &
 præcipuo baptismi fructu, salute nimirum
 æterna, post mortem potiamur. Et sic qui-
 dem argumentatio Paulina, hoc sensu acce-
 pta, suo polleret robore & maxima conclu-
 dendi vi. Mortuorum enim resurrectione
 negata, præcipuus baptismi finis perit. Lu-
 de-

(q) vid. Summi Theologi C. M. Pfaffii Institut. Theol.
 Dogm. & Mor. p. 732.

deremus operam, vento inanique spe pasceremur, & sacro baptismate frustra ablueremur. Sed occinis mihi, Lector: ohe! fatis conjecturarum! Audio. Hic igitur terminus esto. Unum addo: Autores, qui his verbis lucem affundere conati sunt, laudat magno numero Vir Doctissimus Laurent. MULLERUS: (r) quibus (rr) nunc adjicio Aug.

U u 2

BUCH-

(r) in solidis elucidationibus difficilium Scripturæ locorum, lingua vernacula *Theophili Alethæi* nomine editis. Tom. II. p. 399. sq.

(rr) Sed & mihi liceat iis nonnullos adjicere. Videantur itaque; si placet, Jac. NYLOE *Obs. sacr. Belgice editæ* L. II. c. 6. *Obl. spont.* Berolin. T. I. p. 412. S. DEYLINGIUS in *obs. S. L. II. c. 44.* Jo. Frid. HOMBERGIUS in *par. S. p. 261. sqq.* S. DAL-LÆUS de *fatisf. hum. L. I. c. 17.* S. EPISCOPIUS in *resp. ad quæst. XXXV. L. de DIEU* in *Crit. S. p. 707.* C. BARTHII *Advers. L. XLIV. c. 2.* & D. CHAMIERI *panstr. Cath. L. XXVI. c. 19. int. Joh. CLOPPENBURGHII* in *Sel. exerc. disp. VI. Bon. Corn. BERTRAMI lucubr. Franckenthal. c. 8.* C. SVICERUS in *thes. Eccl. p. 640. sq.* & *Obs. S. c. III. 3: 1.* Jo. SAUBERTUS in *pal. Theol. phil. p. 197. sqq.* Joh. TARNOVIUS in *exerc. Bibl. p. 185, 186.* Joach. HILDEBRANDUS in *offert. pro def. c. 3.* & *de arte bene moriendi cap. 3, 4.* S. BATIERRIUS in *hac Bibl. T. VI. p. 100. sqq.*

Singularibus dissertationibus præter S. SCHMIDIUM, G. OLEARIUM, Henr. MULLERUM, Jo. HARDUINUM, Aug. BUCHNERUM eum locum excusserunt Joh. MARCKIUS in *exerc. juven. diff. XXV. p. 540-573.* Fr. SPANHEMIUS F. *Opp. T. III. p. 577-617.* C. A. HEUMANNUS, in *diff. edita Isenaci: 1710. 4. Phil. Joh. TILEMANNUS; Bre-*

BUCHNERUM (s) Franc. WOKEN-
UM, (t) & Anonymum Anglum, (u)

VIII. Suc-

menfis, & deinde primarius Theologus in Academia Marpurgensi; Franq. 1667. Jacobus REICHMANNUS, Witteb. 1652. Fridericus DEUTSCH, Regiomonti. 1695. 4. Martinus Zeuschner in diss. inaug. ed. Francof. ad Viadrum a. 1706. Autor *Vitae Abalardi & Heloisae*, a. 1720. editae, v. Mem. Trivult. a. 1721. mensis Junii. Andreas HYPERIUS in peculiari libello, qui ex Bibliotheca Guelferbytana recusus est Guelferhyti a. 1664. 8. In B. Raupachii *Comm. de praesenti rei S. & Litt. in Dania statu* p. 52. allegatur de hoc argumento Hectoris Godofredi MASII disceptatio epistolica cum Botfacco in schedis Sev. Lintrupii latens, nondum edita.
T. d. H.

(s) in Diff. epistol. de h. l. J. H. Maji *Observat. SS. Litt.* III. addita.

(t) in *Meditat. privat.* Tom. I. p. 117. sqq.

(u) qui eruditus Eques *Kingius* esse fertur, in *Historia Symboli Apostolici*, a B. Godofr. Oleario ex Anglico sermone in latinum translata, p. 321.

Succincta ac genuina
 FORMULAE CONSENSVS
 Helveticae historia.

ARGUMENTUM.

Doctrina de Gratia Dei restituta, & confirmata §. 1.
 de novo oppugnatur a Camerone §. 2. ab Amyraldo
 & Testardo §. 3. Ecclesiae Genevensis Zelus adver-
 sus eas innovationes §. 4. Accedunt Amyraldo ejus
 collegae, quibus resistunt ecclesiae Gallicanae, §. 5.
 & Helvetiae, §. 6. Sollicita eccl. Genevensis cura §.
 7. Amyraldismus invadit ecclesiam Genevensem:
 Primus motus §. 8. Secundus §. 9. Tertius
 §. 10. Tetrapolitani Reformati formulam consensus
 condendam decernunt §. 11. Oppositio Dallaei
 & Claudii, Parisiensium §. 12. Form. consensus
 consignatio; ejusque receptio Basileae §. 13. In re-
 liquis locis, §. 14. Ejus confirmatio §. 15. Ea
 cum reliquis ecclesiis communicatur & ab iis recipi-
 tur §. 16. Genevæ quoque §. 17. Ea de novo
 oppugnatur. Primus motus §. 18. Secundus §.
 19. Tertius §. 20. Oppugnatur ab exteris §. 21,
 22, 23. Conclusio §. 24.

§. I.

Postquam Deus præter alios benè multos
 Anti-Christianismi errores, etiam illa
 falsa dogmata, quæ contra doctrinam
 de Gratia Dei, omnis solidi solatii fœ-
 cundam matrem, irrepsert, per re-

stitutionem luminis verbi sui detexit, eademque doctrina a laudatissima Synodo annis 1618. & 1619. Dordraci in Belgio contra Arminianos habita, ab ejus temporis Theologis Reformatis præstantissimis adversus Jacobi Arminii asseclas confirmata fuit, Ecclesiarum Gallicarum Ministri (quos Rex in gratiam Arminianorú à frequentatione Synodi Dordracenæ cohibuerat) prima Octob. anni 1620. ad Synodum Nationalem, in urbe Alesia congregati, ad omnia Synodi Dordracenæ decreta acceptanda juramento sese obstrinxerunt, cunctisque absentibus Doctoribus idem præstandum injungere statutarunt; Ita ut impostèrum omnes initiandi Ecclesiæ Ministri non tantum doctrinæ Dordraci confirmatæ assensum præbituros se profiteantur, sed & defendendæ ejusdem perseverantiam ad extremum usque halitum promittant. In Synodo Nationali, quæ Carentonii habita fuit d. 1. Sept. 1623. omnes Dordraceni Canones denuo revisi, actis hujus Synodi inserti, cunctique Gallicanæ Ecclesiæ Ministri ad eorum observationem adstricti fuere.

§. 2. His non obstantibus Johannes Camero, Scotus, in Gallia Professoris munere fungens non tantum doctrinam Piscatoris jam Anno 1603. a Synodo nationali Vapinci Delphinatum (à Gap en Dauphinè) congregata & variis aliis Synodis Ecclesiæ Gallicanæ rejectam (Christi sanguinem & mortem tantum, non

non item obedientiam per totum vitæ curriculum præceptis legis præstitam in iustitiam nobis imputari) defendit, sed & ordinem decretorum ut plurimum juxta mentem Arminii proposuit, atque operationem humanæ voluntatis periculose admodum ab intellectu dependentem reddidit, ita ut ipsemet Episcopus Cameroni huicce exprobrarit, illum à Doctrina Dordracena deflexisse. Camero ex adverso non Doctrinam, sed tantummodo methodum illam proponendi, se immutasse pertenderit; quæ vero responsio plerisque nequaquam satisfacit, planam & plenam a doctrina recepta hanc esse secessionem clamantibus. Novam hanc, sic dictam, methodum, plusquam dimidiam Arminianismi partem continere, impavidus statuebat Petrus Molinaeus;) neque Tileni solum, sed sexcentorum ex eo tempore exemplorum calculo facilem admodum ex hac doctrina ad Arminianismum esse prolapsam, probari posse contenditur.

§. 3. Moses Amyraldus & Petrus Testardus ambo discipuli Cameronisejusque ferè in-

Uu 4

ti-

Th. Zwingerus Antistes Bas. II. Aug. 1647. ad Cl. & Nobil. Stukium; Theologum Tigur. Nondum ulla mihi vel argutia vel Rhetorica in novorum Methodistarum scriptis persuadere potuit, controversiam esse non de re; sed de modo tractandi, aut *ῥάπην πωδείας*. Quem illi vocant *ῥάπην* (methodum)

timi tantoperè methodo illius innutriebantur, ut in doctrina: an Christus pro omnibus sit mortuus? & in aliis dogmatibus, præceptore suo ulterius progressi fuerint, adeo ut Synodus Gallicana 27. May Anno 1637. Alensone habita ab Amyraldo & Testardo facti rationem petierit, quod docuerint: a. 1. Christi scopum fuisse pretium redemptionis solvere pro omnibus hominibus ex æquo liberandis, si modo omnes credant. 2. Quod Deo Decretum conditionale tribuerit omnes salvandi, si omnes credant. 3. Hoc vocabat Prædestinationem universalem & conditionalem. 4. Retinebat ordinem decretorum Cameronis. 5. Deo attribuebat *velleitates*, h. e. vehementes, attamen inefficaces propensiones aliquid faciendi. 6. Hominem per opera naturæ ac providentiæ ad fidem ac poenitentiam vocari dicitabat, atque cognitionem Christi ad Salutem non absolutè necessariam esse. 7. Cognitionem Dei ex operibus naturæ haustam posse vocari *Fidem*. 8. Operationi Spiritus S. ad salutem necessariæ aliquid derogare videbatur. 9. Cum è contrario impotentiam ad fidem vocabat *moralem*, itaque non plenariam &

dum) commodiorem, tutiorem, luculentiorum, ille videtur jugulare rem ipsam: Vestis est intoxicata, quæ contagione sua adfricat, & enecat corpus, cui applicatur.

(a) Syn. Nat. II. 581. sqq. Jæg. Hist. Sac. 17. p. 523.

& omnimodam. 10. Vocationem realem sive per res, quamque universalem proinstituebat, absque verbo Dei fidem operari posse, si modo homo velit.

§.4. Dogmata hæc Reformatis ignota & à supradicta Gallica Synodo rejecta, Amyraldus & Testardus & mitius exposuerunt, Doctrinæ receptæ se conformantes, & planè deserturos se jurando promiserunt. Quo factodemum manus fraternitatis de novo ipsis porrectæ, atque ipsi ab obeunda munera sua confirmati fuere ac dimissi. Ecclesia Genevensis huic Synodo tædium suum literis testabatur, natum partim ex supradictis Amyraldi dogmatibus, partim quod & sibi & fratribus suis, Ecclesiis Helveticis, molestum sit, hos viros ad excusanda heterodoxa dogmata, nominibus clarissimorum suorum Doctorum abuti, tandem Ecclesiam Gallicam ad perseverantiam in doctrina Synodi Dordracenæ hortabantur. Media, quibus Amyraldus se tueri, & Doctrinæ suæ gratiam conciliare allaborabat, hæc erant. 1. Quod diceret, se non

Uu 5

abi.

⌘ Videantur acta illius Synodi, ubi ad finem materiæ hujus tractatæ, & postquam Amyraldus & Testardus ad sententiam Synodi accesserant, hæc finiunt. Les dits Srs. ayant acquiescé à tout ce que dessus & Payant juré & souscrit ont receu la main de concorde des Moderateurs de cette Compagnie & ont été renvoyéz avec l'honneur de leurs charges à l'exercice d'iceles, ainsi signé Paul Testard. Amyrald.

abire à Synodo Dordracena. 2. Calvinum, Bullingerum &c. idem secum docuisse. 3. Methodum suam Lutheranis & Reformatis sibi invicem uniendis aptam esse. 4. Cameronem jam majorem conscientiae libertatem urfisse, ut sc. Doctores Gallicani non tam arctè ad Synodales Canones acceptandos adstringerentur. Præter modo dicta Amyraldus porro evincere nitebatur: Caput 7mum Epistolæ ad Rom. de Paulo non converso intelligendum esse, fœdusque in monte Sinai cum Israëlitis pactum à fœdere operum & gratiæ diversum esse, de qua sententia Fr. Turretinus scribit ad Heideggerum. (b) „His hypothesebus admissis, totam fœderis rationem, qua Religio innitur, perturbari videri. Hocce Anno 1637. Tigurum & Berna Canones Synodi Alençonensis approbarunt, Amyraldi dogmata autem tanquam à Synodo Dordracena deflectentia reprobarunt. Tigurum quoque studiosam suam Juventutem Salmurii commorantem aliorum proficisci jussit. Annis 1644. & 1659. tria modo dicta Gallicanæ Ecclesiæ decreta à Synodo Juliodunensi & Carentonensi III. (*Synodes de Loudun & Charenton*) confirmata fuere.

§. 5. Amyraldus hicce Professor erat Salmurii, Collegas habens Ludovicum Capellum &

(b) ad Heidegg. d. 30. Dec. 1673.

„Eis hypothesebus admissis totam fœderis rationem;
„qua religio innitur, perturbari videri.

& Josuam Placæum; Omnes hi tres eodem A. sc. 1632. eodemque anni mense (Junio) munera sua Professoria adierunt. Capellus sententiæ Amyraldi adhuc doctrinam suam de Textu Hebraico superaddidit, de qua Turretinus ad Heideggerum scribit:)(„Si obtinuerit, actum est de S. Script. & ratio humana norma esset religionis (c) Placæus afferebat, Peccatum ab Adamo in Paradiso commissum ipsius posteris non immediatè imputari; Hæc doctrina Anno 1644. in supra dicta Synodo Carentonenſi III. rejiciebatur. Insuper in Gallia ad Ministerium admitti vetabatur, quisquis huicce decreto subscribere renueret. Qui tamen obstetricantibus Amyraldi Sectatoribus in Syn. Julioduni Pictonum „Loudun en Poitou, A. 1659. congregata aliquanto mitius habiti fuere. Cumque Guilh. Laudus tunc temporis Archi-Episcopus Cantuariensis in Anglia Arminianismum non solum ipsemet amplexus, sed eundem propagare omni opera annisus fuit, Theologos Helveticos hoc male habuit.

§. 6. Ecclesiæ Helveticæ quidem re pensitata hisce doctrinis, quæ ipsis Arminianæ, Semi-Pelagianæ, à Synodo Dordracena defle-

cte-

)(d. 16. Julii 1677.

(c) „Si obtinuerit, actum est de S. Scriptura &c. & ratio humana esset norma religionis.

)(Burnet. de præd. S. 21.

)(„Stuckius ad Th. Zwing' 9. Junii 1639. Arminia-

nia-

tere, solique ambitioni natales suos debere videbantur, ut resisterent, sese atque alias excitarunt, siquidem per illas doctrina de proposito gratiæ, liberatione hominis, vocatione efficaci, fide, prosternatur, liberum hominis arbitrium in thronum collocetur, atque paulatim Antichristo in Ecclesiam nostram redeundi porta aperiatur. Anno 1647. Irmingerus Antistes Tigurinus Reformatos Ministros Parisienses literis compellabat, rogans, ut rem accuratius pensitarent, atque innovationibus hisce eliminandis adhiberent; At illi responderunt secunda Julii Anni 1647. „Controversias hæcæ sibi videri fundamentum non tangere, nec in Gallicam Confessionem arietare; adhæc se Dordracenis Canonibus stare. Ipsemet Amyraldus doctrinam suam per literas ad Irmingerum exaratas excusare voluit. Helveticæ Ecclesiæ autem, quamquam ad eorum scripta respondere haud diffi-

„nianismus in Anglia, nescio cum quanta Archi-Episcopi (LAUDI) laude vires sumit, & quotidiana „capit incrementa. Nam Pelagianismus eo redit, „unde primum pullulavit. Hæc scandala Dominus Iesus brevi tollat.

(d) Zvving. ad Stuk. Anno 1545.

)(Th. Zwing. ad R. Stuck. 22. Maji 1644. Non solum Papismi, sed & Arminianismi, tanquam hypodromi & prodromi contagio, uti in Belgio, ita in Anglia, „fenestram turbis his in Ecclesia saltem (Anglicana) „aperuit. Mihi jam aliquo tempore visum fuit
Theo-

difficile fore ratæ, eo quod sat contentionum
 alias in Ecclesia esset, altercationis ferram
 cum ipsis reciprocare noluerunt commercio
 hoc literario abrupto; Cumque essent, qui
 schisma inde oborturum augurari atque mini-
 ta-

„Theologos Anglicanos in rebus Theologicis
 „πυρρονίζεν. Nostra sententia est, Reformatori-
 „bus Anglicanis præcipue, modeste tamen præsentia
 „hæc scandala (*Arminianismum inter alia intelligit*)
 „atque imminetia inde pericula esse proponenda,
 „eosque ad consensum in Doctrina in Synodo Dordra-
 „cena approbata & conclusa mascule exhortandos.
)(„Zwing. ad Stuck, 13. Maji 1646. In vestra atque etiam
 „nostra veteri stamus sententia *παραινέσις* no-
 „stras (ad Parisinos Theologos communi Ecclesia-
 „rum Helvetiarum nomine) & iis (Parisinis) obste-
 „trantibus ad Ecclesias turbatas aut earum turbato-
 „res non esse sufflaminandas, sed promovendas &c.
 „Quotidie in Schola Salmuriensi emergunt nova
 „dogmata, quibus paulatim Arminianismo, Papis-
 „mo &c. fenestra aperitur &c. Urgeri vult vir ve-
 „ner. in epistola ad Parisinos puritatem confessio-
 „nis Gallicæ tot myriadam sanguine confirmatam;
 „consensum Orthodoxarum Ecclesiarum Reforma-
 „tarum, Synodi Dordracenæ calculo subarrhatum,
 „à quo deviare & discedere videatur non tam
 „Φιλαληθείας quam ὑπερηφάνιας indicium: Con-
 „junctiorum Ecclesiarum Gallicarum & Helvetia-
 „rum &c. libertatem prophetandi, quæ à prurien-
 „tibus ingeniis obtendi solet, non esse converten-
 „dam in licentiam, aut potius luxuriam dogmatum
 „quorumvis, pro cuiusque imaginatione atque pla-
 „cito, insuper habita autoritate Ecclesiarum alia-
 „rum, cudendorum, disseminandorum, propu-
 „gnandorum.

tari vellent, respondit Zwingerus: *Hec nimia lenitate non evitari, adversarios e contra ad novos errores excogitandos, fovendos ac disseminandos obfirmatum iri.* De hac literarum inter Gallia & Helvetiae Theologos reciprocatione b. m. Gernlerus scribit 18. Nov. Anno 1669, ad Heideggerum: *Scripta nostra ad Parisienses (Anno 1647. & 1648.) Symbolica sunt, & testantur, opiniones Salmurienses exulare debere ab Ecclesiis nostris.* (c) Zwingero Antistite Morus gradum doctoris Theologiae appetebat Basileae, qui vero ipsi denegabatur, nisi prius omnia erronea dogmata, de quibus suspicio in illum cadebat, abdicasset, scripto in publicum vulgato.

§. 7.

- Th. Zwing. ad Stuk. d. 10. Febr. 1446. „Respondendum ad cothurnatas Parisiensium literas, „ipsisque aperte significandum, quod Methodus, „quam vocant, nova Salmuriensium nostris Ecclesiis „non sapiat, quod redoleat Arminianismum & con- „sociata dogmata, quod Pandora sit atque occasio „turbarum magnarum in Ecclesiis non solum Galli- „cis sed & Germanicis &c. Animadverto, interpo- „sitionem nostram Ecclesiis tum Belgicis, tum Gal- „licis praecipuis gratam esse
-)(Zwingerus ad Stuk. 18. Nov. 1648. Amyraldo in „generalibus tantum respondendum, ne homini „contentioso, sibi placenti, & nunquam quieturo „pabulum ad ferram contentionis continuandam „subministretur.
-)(Zwing. ad Stuk. d. 20. Decemb. Anno 1648. „Scripta nostra ad Parisienses (Anno 1647. & „1648.) Symbolica sunt, & testantur, opiniones „Salmurienses exulare debere ab Ecclesiis nostris,

§. 7. Hancce tamen ulterius serpentem quasi gangrænam à foederatæ Ecclesiæ corpore semper coërcere impossibile erat. Geneva primum passâ fuit impetum. Doctores b. m. optime meriti hancce Ecclesiam ab Amyraldismo omni tempore fuisse alienam evincunt, idque probant. 1. Ex ejus confessione & Catechismo. 2. Ex Scriptis Calvini, Bezæ, Danæi, Faji. 3. Ex Thesibus Deodati & Tronchini, tum separatim, tum cum cæteris Theologis junctim, Dordraci contra Arminianos positis. 4. Ex Specialibus Genevensis Ecclesiæ actis Anno 1633. ubi Amyraldi de prædestinatione tractatus fuerat rejectus. 5. Ex supradictis Genevensis Ministerii ad Synodum Alençonensem literis Anno 1637. 6. Morus non prius, quam suas aliasque hucusque in Gallia irreptitias novationes rejecturum se promisisset, Genève in Ministerium Ecclesiasticum receptus fuit Anno 1641. 7. Academia Lausanensis Genevenses Anno 1645. ut erroribus alicubi locorum in Gallia fatis omnem adimere aditum conarentur, adhortabatur. 8. Morus cum suspicioni iterum locum dedisset, omnes Ecclesiæ Genevensis Doctores Dordracenis Canonibus denuo sese astringere tenebantur, sanctè promittentes, se in Gallia grassanti doctrina de gratia Dei, de non imputatione peccati Adam &c. abstenturos, necquemquam ad munus Ecclesiasticum nisi idem præstare affirmantem admissu-

ros.

ros. 9. Morus iter Middelburgum suscipiens, iterato subscripsit *Sic sentio, sic sensi, sic profiteor.*

§. 8. Phil. Mestrezatius, imprimis Theodorus Tronchinus, post Deodati & Tronchini senieris decessum, licet æque ac alii suis subscriptionibus novas abhorreere doctrinas promiserint, propriaque manu subscripserint, Amyraldi tamen dogmata proferre non erubuerunt; Studiosos in suas traxere partes, conscientiam nimis arcte esse ligatam conquesti; res equidem postea meliorem induebat faciem. Novi tamen statim, & quidem præcipue tres vehementes subsecuti motus. Dominus Tronchinus Junio Anni 1669. in receptione cujusdam candidati ad Ministerium contendebat, acquiescendum esse, si Candidatus verbo Dei & confessioni in hæsurum se spondeat: Doctrinam enim Patrum sequi Anti-Christianismum redolere, nec sui ipsiusmet, si quod sit, promissum ullius esse valoris. Imo ipse rem eo apud Magistratum perduxit, ut doctrinam, Ecclesie Genevensis Canonibus confirmatam, de prædestinatione, populo quidem proponere, non vero contrariam refutare sententiam licitum declaratum fuerit. Plebs quoque in multa inducta supervacanea, in non exigua distracta fuit dissidia. Itaque Dom. Fr. Turretinus alique Genevenses Doctores refugium apud cæteras fæderatas Ecclesias quærere coacti sibi visi,

si, quod etiam obtinuerunt, considerando: Genevensium causam nostram esse causam, illisque, quibus Deus suam commisit doctrinam, cavendum esse, ne detrimenti quid capiat. (f) Postquam IV. Illustres foederati Cantones Magistratui, & Ministerium Tetrapolitanum Ministris Genevensibus literas, inter alia de damno, & docentium libertate; in Ecclesiam redundaturo, dedissent, (g) Genevense quoque ministerium suo Magistratui ortas inter ipsos perturbationes proposuisset, supra memoratum interdictum sublatum fuit, omnesque Genev. Ecclesiae Ministri, compositos Anno 1649. articulos denuo perpendant & subscribant, jussi, in posterum autem neminem ad ministerium recipiant, nisi articulis Anno 1647. & 1649. praescriptis assensurum se eosque docturum sancte promiserit. Jam eo tempore D. Tur-
 Class. VII. Fasc. IV. X x re-

(f) „Genevensium causa nostra est causa: Nobis de-
 „positum sacrum purioris doctrinae est commissum,
 „Praestemus nos fidos & incorruptos ejus custodes.
 „L. Germl. 5. Jul. 1667. ad Heidegg. Negotium Ge-
 „nevense cum cura & zelo tractandum judicarunt
 „fratres (Basilienses) Idem post reditum ex ag. Hel-
 „vet. Agimus Ecclesiae & Dei causam; qui verita-
 „tis & pacis *συνουχίαν* sanctam vult esse & illiba-
 „tam in domo sua. Quare de assistentia ejus non
 „dubitandum, quaecunque objiciantur difficul-
 „tates.

(g) „Libertatem prophetandi nimium ingenio suo in-
 „dulgentium fratrum, nihil quam mala attulisse
 &c.

retino in votis fuit, ut ad concordiam conservandam, formula consensus literis demandetur. (h)

§. 9. Secundus motus Mense Augusto Anni 1671. fuit exortus: Quum incipientibus Gallicis persecutionibus Dominus Musfardus, qui Reformatus Lugduni erat Minister, fugam capessere coactus fuit. Genevam is in patriam suam confugiebat. Amyraldi Discipuli autem omnem navabant operam, ut ipsum tanquam Virum Doctum nunc autem propter Evangelium Exulem, promoverent; Ipse autem his memoratis articulis Divino quippe Verbo contrariis, ex mente ejus, triticisque Scholasticis adstringi renuebat. Hac occasione Illustris Canto Tigur. Geneveses Foederatos suos serio perpendere monuit, „quod innovationes atque factiones in „rebus Religionis Politiam & Rempubl. in „divulso nexu secum trahant. Rogabantur „itaque, ut placeat ipsis nullum aditum, no- „vas de Gratia Universalis Sententias cir- „cumferentibus & foventibus præbere, sed „omnimodo resistere, uti Tiguri paucos an- „te annos utiliter ac salutariter gratia Dei fa- „ctum. D. Turretinus (i) & Gernl. (k) ite- rum

(h) „Sic frænum fortius imponerent omnibus. ad Cl. Heidegg. 16. Nov. 1669.

(i) „Putamus, fore præsentissimum malis nostris remedium, ne quis in posterum vel apud vos, vel apud nos turbas hac de causa movere præsumat. ad Heidegg. 8. Oct. 1671.

(k) Kal. Nov. 1671. ad Heidegg. „Si non successurum

rum compositionem scripti doctrinae Salmuriensi oppositi flagitabant, ejus beneficio Ecclesiam quiete perpetua fore fruituram, suamque Doctrinam unanimi hucusque consensu receptam constanter se retenturos sperantes.

§. 10. Tertius motus exortus est ex occasione concionis Paschalis habitae à Dom. Mestrezat in Gal. 2: 20. in qua ex adhortatione Pauli, eos, pro quibus Christus sit mortuus, debere Deum & animam & corpore glorificare: Christum pro omnibus, qui Deum animam & corpore glorificare teneantur mortuum esse, concluderat. Eodem tempore Dom. Tronchinus Collegium in Wendelinum habuisse fertur, in quo doctrinam Ecclesiae Reformatae de Christo,

Xx 2

me-

alibi creditur institutum (de formula) hoc tempore, pergemus nos soli. *Id. eid. 8. Nov.* Res decreta est; Nos Articulos adornabimus &c. Theologiae Salmuriensi continenter reclamavit Ecclesia nostra. *Et 15. Nov.* Controversiae hae examinatae fuerunt antehac, cum iis turbarent Ecclesiam Salmurienses; stabilitam orthodoxam, quam Ecclesiae hactenus unanimiter sunt professae, & Candidati Ministerii stipulata manu, Doctorandi vero interposito juramento constanter se professuros receperunt. *Id. 4. Jun. 1672.* Stat sententia de Formula Consensus. *Et m. Decemb. 1673.* Patriae nostrae Orthodoxia nunc quidem temporis salva est. Existimo autem, nostrum esse, etiam posteritatis justam habere rationem. Sollicitudo mea tota in futurum vergit.

„meritoria Salutis causa impugnavit. Me-
 „dia salutis non merito Christi, sed soli bo-
 „nitati divinæ adscripsit, docuitque, fidem
 „nos non propter apprehensum Christum,
 „sed proprium ob meritum justificare. (1)
 Addidit igitur Dom. Gernler, „mala semper
 „pejora sequi, tandemque integrum Armi-
 „nianismum & Pelagianismum, & fœtum, &
 „confirmatum iri: stupendo itaque huic &
 impudenti fastui aliisque novationibus ma-
 scule esse resistendum (m)

§. II. Illustres igitur IV. Evangel. Can-
 tones Anno 1674. consuetis Comitibus diu o-
 mnibus perpensis decreverunt, summusque
 postea magistratus Tigur. „suis Ecclesiæ Mi-
 „nistris in mandatis dedit, ut de arduo hoc-
 „ce negotio cum cæteris Evangelicarum civi-
 „tatum Ministris deliberent, eoq; animi aciem
 „intendant, quo modo imminens hocce ma-
 lum

(1) Teste Cl. Gernl. ad Cl. Heidegg. 22. Jul. 1674.

(m) „Non possum satis adversari arrogantiam & te-
 „meritatem eorum, qui adeo sui pleni sunt, ut
 „quicquid somniant, receptissimo consensui adeo
 „illustrium Heroum præferre, & discipulis instilla-
 „re audeant. In eo hætenus constitit Ecclesiæ no-
 „stræ gloria, quod quibuscunque invalescentibus
 „doctrinæ corruptelis, nobis semper datum fuit pu-
 „rissimæ veritati consentiens testimonium, &c. Ni-
 „si (occurratur) robusto & facerrimo præsidio,
 „propediem funus indicendum foret gloriæ Eccle-
 siæ nostræ. *His omnino consentientia scripsit Cl. Turret.*
 27. Maj. 1674.

lum impediri, & in Genevensem ac me-
 diante ea in cæteras quoque fœderatas Ec-
 clesias irruenti Amyraldismo mature per
 Unanimem, literisque mandatam formu-
 lam occurri possit. Hinc ergo primum
 quatuor Evangelicarum Civitatum Ecclesiæ
 malo ulteriori ut medeantur, amice confe-
 rendo consenserunt ad consignandam formu-
 lam specialem, „clare expressam ex Verbo
 Dei petitam (n) in qua 1. dogmata grassan-
 tia Amyraldisi sic dicti contra decreta &
 constitutiones Gallicarum Synodorum irre-
 ptitii, nec non ab Ecclesiis Helveticis jam
 ante xxvii. annos rejecti (o) aliæ quoque
 hujusmodi opiniones, quæ Ecclesiam no-
 stram summum in periculum præcipitare
 possent: debita cum modestia refutentur;
 absque damnatione Reformatorum Ministro-
 rum, præprimis Gallicorum hac in re oppo-
 sitæ sententiæ faventium. 2. Veritas hæcte-

X x 3 nus

(n) „Quæ per literas apud nos sunt collationes, Sy-
 nodorum loco sunt. *L. Gerul. 22. Jul. ad Heidegg.*
 1674.

(o) „Rejiciendæ illæ opiniones, quas Ecclesias no-
 stras habita consultatione mature rejecisse constat:
 „&c. Si scriptum nunc adornetur, quo universæ
 „eliminenter *καὶ νεοπλατῶν* Salmurienses, nihil sta-
 „tuitur novi, sed declaratur, nihil nobis commune
 „esse cum eo, quod prævia communi consultatione,
 „jam ante 27. annos solemniter rejectum fuit.
Gerul.

nus ex verbo Dei a nobis tradita explicetur & confirmetur.

§. 12. Ad hujus decreti executionem subvertendam duo Parisienses Ministri Reformati D. Dallæus Fil. & D. Claudius ab amicis suis Geneventibus, uti credere fas erat, moti litteras admodum serias D. Turretino &c. misere ad metum oriundi exinde schismatis injiciendum. At D. Turretinus non minus solide ac prolixè D. Claudii jus atque necessitatem hujus instituti ut & objectionum vanitatem demonstravit. Ita & alæ Ecclesiæ has insurrectiones tanquam incongruas, (p) & animum partibus infectum (q) notantes re-

(p) „Obstupui videns machinas, quibus Galli nonnulli Fratres subvertere conantur institutum nostrum &c. Nescio quid juris habeant in Ecclesiis Helveticas, quæ Gallicanis nihil præscripserunt, quando sua illa semper lenitate in Synodis usi sunt, erga secus docentes, contra vota cordatissimorum passim Dei Servorum. An ipsis nunc fas est, Diotropheæ dictatura Heveticorum Consilii intercedere, quando salva Ecclesiarum unitate id agunt unice, ut veritatis depositum inter suos purissime custodiat? Nostra sententia non erit, ceddendum esse, sed quod cœpimus, audentius perficiendum. Ita Clariss. Gernl. sub init. A. 1675. in ult. ad Cl. Heidegg. ab eo scriptis literis.

(q) Ven. Schalich, Scaph. 26. Jan. 1675. „Magistratus respondimus; D. Claudium virum esse magnæ auctoritatis, sed & Novatorum partes adoptasse, qui, viri boni, de rebus nostris male informati, integritate abusi, ipsi suggererint oppositiones, quibus

respuebant; Et quod adhuc majoris momenti, alii Gallicarum Ecclesiarum Ministri imo integræ Provinciæ (quibus Amyraldismi augmentum dolori erat) intense rogabant, ut Ecclesiæ Helvetiæ omni annisu huic malo mederi allaborent.

§. 13. Postquam igitur præmemorata Formula scriptis Tiguri fuit mandata, reliquis tribus Ecclesiis revidenda & emendanda fuit tradita, tumque Tigurum remissa, ibique ad universæ Ecclesiæ judicium accommodata; statim reliquis Ecclesiis approbanda fuit communicata. Hocce tempore Dominus vitæ & necis *D. Lucam Gernlerum* SS. Theol. D. & Professore simul & Antistitem, Basil. Virum de Ecclesia optime meritum morbo lethali invisit. Hic dum adhuc bene valeret, hocce Domini opus strenue movens, (r) jam

X x 4

ago-

„bus non ferit ullam nostræ doctrinæ partem, sed
 „ut alter Ajax obvias sibi oves flagellat &c. Bona
 „verba & Gallis consuetam blandiloquam *Ἰουδα-
 γωγῆν* Epistolæ non deesse fatemur. Sed plera-
 que extra oleas &c.

(r) *Min. Eccles. 4. Civ. ad Confæd. A. 1675. Delibera-*
 „vimus diu argumenta ultro citroque amicabili in-
 „stituto commercio, quod ab antiquo Synodi vices
 „obtinuit, ventilavimus & discussimus: non parum
 „negotium & adjuvantibus & provehentibus sanctis
 „& prudentissimis consiliis *τῆ Μακαρίτη*, alte-
 „rius Oecolampadii, Celeberrimi Gernleri nostri,
 „qui vere vir desideriorum, Sacræ huic curæ, quæ
 „agro-

agonizans Collegæ & affini suo D. Prof. & Doct. Joh. Zwingero hoc opus prosequendum intensissime commendavit: (s) Quod hic adjuvante D. Petro Werenfelsio laudati Gernleri tam in Professione quam in Antistitio Successore tanta cum integritate atque Zelo fuit executus, ut Ampl. Basil. Magistratus primus omnium fuerit, qui hanc formulam publice fuit professus, publicato mandato, quo omnibus tunc viventibus Ministris injungebatur, ut huic formulæ subscribant, eamque in violatam custodire studeant.

§. 14. Die 11. Martii A. 1675. hæc formula Tiguri coram sic dicto Senatu Minori, 13. Mart. coram Senatu Majori fuit lecta; „Utrinque conveniebatur, cum ea nonnisi „confirmationem contineat eorum, quæ in „nostra Confessione Helvetica continentur, ita-

„ægotantem etiam graviterque decumbentem exercuit, immortuus est.

(r) *Clar. Zwing. 17. Febr. 1675. ad D. Heidegg.* Multis verbis laborem, industriam, dexteritatem, integritatemque tuam in concinnanda, adornanda & perficienda Formula Consensus laudavit, pluribusque ardentissimum suum desiderium expressit, ut tandem laudabile istud, & Satanæ tam exosum negotium ad finem produceretur.

(s) Ut posthac legis perpetuæ & Sacrosanctæ vim obtineat, qua qui eidem subscribere recusabunt, a publico in Ecclesia, Aeademia & Scholis, docendi munere arcebuntur. *Zwing. 3. Mart. 1675. ad Minist. Tig.*

itaque nulla innovatio, sed potius ad sub-
vertendas periculosas novitates sit inventa,
adeoque ut à Magistratu approbata & con-
firmata, solisque Ecclesiæ Helveticæ Re-
formatis ac Civitati Genevensi in omnem
eventum ad hujus articuli de gratia univer-
sali & quod ab ea dependet, deque aliqui-
bus aliis Religionis dogmatibus illustratio-
nem fuerit præscripta; & in Aroviensi Con-
fessu data occasione reliquorum Confœde-
ratorum Legatorum judicium requiri debeat:
Die 14. Junii ab Amplissimo Magistratu Ber-
nensi ratihabita fuit; Ministerio Bernensi (u)
uti & Scaphusiano (x) diu ante assentien-
tibus.

§. 15. Subsequenti anno in Badensi con-
ventu Legati Reformatarum IV. Civitatum
suorum Magistratum nomine, conceptam
formulam Consensus respectu articuli de
gratia universali unanimiter approbarunt,
X x 5 cum

(u) *Job. Nicolai Theol. Prof. & Rector Bern. ad Min. Tig.*
Precamur, ut eam (Formulam) velit esse indisso-
lubile vinculum fraternæ conjunctionis nostræ, in
conservanda incorrupte fide semel tradita sanctis:
tanto Dei beneficio & tanta cura atque sollicitudi-
ne ab optimis & piissimis Decessoribus nostris ad
nos usque derivata &c.

(x) *Georg Schalich Dec. Scaph. 21. Jun. 1675. ad Min.*
Tig. Ita ex verbo Dei edocti sumus, ita docemus,
& cum bono Deo in posterum quoque docturi su-
mus.

„cum additamento, ut statim omnes Ministri
 „ac Præceptores Classici quin imo & Profef-
 „sores eidem subscribant, ac imposterum ad
 „S. Ministerium nemo admittatur, quin abs-
 „que omni exceptione mentem suam de his
 „declaraverit, his subscripserit, & servanda
 „juramento foverit; & si quis subscribere
 „renueret, ad Ministerium nullatenus ad-
 „mittatur. Omnium quoque suffragiis fuit
 „probatum, ut hæc formula Consensus tam a
 „Magistratibus, quam Ministeriis Reformato-
 „rum IV. Civitatum Cantonibus, Glaronensi,
 „qua Reformatae Religionis, Abbatiscellæ, in
 „parte exteriori, ut & associatis pagis, civita-
 „tibus Sangallo, „Mulhusio, Biennæ & Neo-
 „como, earumque tam Magistratibus quam
 „Ministeriis omnibus cum circumstantiis fi-
 „deliter & amice communicetur, eorumque
 „assensus requiratur, qui postquam obtentus
 „fuerit, tandem cum Genevensibus partici-
 „pandum. In eodem conventu literæ Am-
 „plissimis his Magistratibus exarandæ fuerunt
 „conceptæ, totum quoque negotium cum
 „Glaronensium, Abbatiscellanorum & San-
 „gallensium Legatis præsentibus fuit commu-
 „nicatum: Reverendum Ministerium Basilea-
 „se summum gaudium respectu progressus hu-
 „jus negotii per Antistitem eorum recens cle-
 „ctum fuit testatum. (y)

§. XVI.

(y) D. P. Werenf. 4. Jul. 1675. „Etiam in ira Deus non
 ob-

XVI. Consequens erat voluntaria Ministeriorum ditionis Tigurinæ & Bernensis formulæ subscriptio: Glaronenses adhuc dum requirunt, ut, qui Synodo suæ allegi cupiunt, juramento obstringant se ante omnia, concionaturos S. Evangelium, juxta sensum V. & N. Testamenti, & secundum tenorem Confessionis Helveticæ, quæ An. 1566. à Ministris Tigurinis, Bernensibus &c. in lucem fuit edita, ut & ea, quæ continet *Formula Henotica*, neque adversa dogmata falsaque immixtuos ac tradituros doctrinas. Abbatibus-Cellani ac Sangallenses plenum præbebant assensum. Mülhusiani respondebant 3. Nov. 1675. (z) uti & Grifones 15. Nov. ex vo-

obliviscitur misericordiæ: & de atra nube iudiciorum suorum subinde micare sinit stricuras bonitatis. Has inter merito numeramus consilia Ampliff. proceribus nostris suggesta divinitus de custodiendo præclaro illo fidei intemeratæ deposito, muniendisve Ecclesiis nostris adversus novitates, &c. Institutum hocce, quod Spiritui pacis & veritatis acceptum ferimus, impense lætamur, benedicente Domino eam consecutum esse maturitatem, ut formula nostra ulterius communienda sit Fœderatis reliquis &c. *Inspici meretur ejusd. Icon D. Gernleri.*

(z) „ *Salatheus Mullb. ad Min. Tig.* Formula in timore Dei a nobis perlecta, Magistratui nostro iaclyto decenter exhibita. Testamur itaque sancte doctrinæ formulam nobis oblatam in omnibus Dei Verbo & fidei apud nos receptæ esse conso-

voto. (a) Ampliff. Magistratus Bernensis Civitates Biennam & Neostadium nomine omnium Confoederatorum Ampliffimorum Magistrat. ejus participes faciebat (quæ ambæ pro no animo consensum suum præbuere) nec non Neocomum, ubi huicce negotio ab adversariis quibusdam Amyraldi Discipulis remora quædam injecta quondam fuerat, Formula demum A. 1676. omnium Neocomensium Ministrorum nomine per eorum Decanum Ven. Girardum fuit subscripta.

§. 17. Tandem mense Dec. 1675. IV. Civitates Genevensibus quoq; per litteras significaverunt. 1. *Erroneas opiniones, etsi initio videantur nullius momenti, paulatim tamen crassiores errores, acerrimas quoque in Scholis Disputationes, in Ecclesia Schismata, factiones & dissensiones vero in Republica procreare solere.* 2. *Theologos IV. Civitatum, quoad controversa dogmata, verum*

nam. Subscribimus illi libentissime. Imo pollicemur, nos Formulam istam defensuros contra omnes aliter sentientes, &c.

(2) *D. Vedros. 15. Nov. A. 1675. ad eosd.* „Scriptum vestrum per omnes Ministerii Classes cis & ultramontanas, examinavimus, atque totum sanctum & orthodoxum reperimus. Consensu itaque nostro munivimus, munitum Ampliff. Proceribus nostris firmandum sancendumque commendavimus. Qui sibi & nobis de *ὁμοδοξία* ex animo gratulantur, illud firmare, sancire, & Ampliff. Magistratibus nostris consensum suum autoritate publica firmatum testari polliciti sunt.

Confessionis Helveticæ sensum (ad quam alias quoque errantes, nullo tamen jure, quasi ad Patronum provocant) asseruisse, veritatemque affirmavisse. 3. Ipsosmet Magistratus ad hos (in formula contentos Canones) ceu Verbo Dei Helveticis confessionibus, & hætenus receptæ apud illos doctrinæ adaptatos consensum suum præbuisse, atque, ut impostorum quasi Confessionis Helveticæ appendix & scriptum symbolicum sint habendi, decrevisse. 4. Omnibus itaque præcepisse, ut consonam hisce Canonibus doctrinam profiteantur, ac ad majorem confirmationem illis subscribant: Recusantem autem ad ullum munus publicum in Ecclesia & Schola obeundum indignum censendum. 5. Quia Geneva Confessionem Helveticam admisit, & approbavit, non recusaturam admittere quoque hosce Canones, tanquam Confessionis appendicem, atque medium ad puritatem & Ecclesiæ quietem conservandam. 6. Ejusmodi vero Novatores, si qui sint, qui jam ministrant, vel Ministerium ambiunt, his aditum ad Ministerium, ut claudant illosque arceant: Responso sequebatur demum, 6. Jan. 1676. huc rediens. 1. Sua à Senatu, respectu controversiarum à suis Doctoribus hætenus agitarum, facta Decreta & limitationes absque ulla ulteriori sollicita cura sufficere posse, se existimasse. 2. Verum cum ipsis ex Ampliss. Magistr. Helveticorum Literis constet, quod ad unanimum a tempore Reformationis hucusque conservatam fidem melius firmandam necessarium censeant, ut hæc formula à Genevensibus approbetur, & ceu medium efficax ad purio-

rioris doctrinae & quietis Ecclesiasticae, conversatio-
nem, prout in Ecclesiis Helveticis fit, auctoritate pu-
blica gaudeat, ei que omnes se subjiciant, non posse
ipsos non tam laudabili cepto adstipulari. 3.
Hancce formulam suis Doctoribus examinandam se
tradidisse, eque illis percepisse, quod Verbo Dei, sua
Confessione atque constitutionibus conveniens sit. 4.
Ideoque illam labentissime approbasse, eadem tamen
cum modificatione, quam, quoad puncta, D. Prof.
Heideggerus D. Turretino dedit. 5. Ordinasse, ut
haec Formula impostero probe observetur, huncce
in finem eo ipso tempore a Moderatore & Secretario
Synodi suorum Doctorum totius Vener. Congregatio-
nis nomine Societatis obsignetur, & a quolibet, qui
ad munus aliquod, sive in Ecclesia, sive in Schola,
praestandum vocatur, subscribitur; Duo supra me-
morati D. Moderator & Secretarius Ministrorum
Genevensium nomine propter assiduam, ad Ecclesiam
suae emolumentum vergentem diligentiam, secun-
damque adeo curam, maximas quoque perolvere
grates: Consensum formulae cum sua hactenus tradita
doctrina testari: Equidem, quoad controversias de
punctis vocalibus Hebraicis, an antiqua nec ne? se
aliquantum hesitasse, re tamen accuratius persuta,
nec non ex Epist. Rev. & Cl. D. Heideggeri D. Tur-
retino scripta, probe sibi perspectum, mentem unice
eam fuisse, solam fontium Hebraeorum Veteris &
Graecorum Novi Testamenti divinam supra omnes,
qualescunque ea sint versiones, authenticam asserere
& extollere. (b)

f. 8.

(b) Reaccuratius pensitata, nec non ex Epistola Rev. &

§. 18. *Ex eo tempore Formula Consensus variis vicibus & modis impugnata est: Et quemadmodum ante, ita & post ejus introductionem tres itidem notandi veniunt motus. Primus incidit in annum 1685. quo numerosa Ministrorum ex Gallia tum exulum & opinionibus Salmuriensibus aliisque tinctorum cohors in Helvetiam fecerunt, qui cum & ibi inciderent in eos, qui ipsi in Gallia speciatimque Salmurii studia Academica prosecuti fuerant, tanto facilius eos sibi assentientes habuere, ita ut merito nata fuerit sollicitudo conservandæ Uniformitatis Doctrinæ in publico. Ea occasione pietissimæ memoriæ Elector Brandenburgicus FRIDERICUS GULIELMUS Reformatis Cantonibus universis per literas significavit, ad se cum perlatum sit, & Helvetos & Belgas Federatos instituendum moliri examen Ministrorum circa Doctrinam de Gratia Universalis, se quidem, quin optimo, conservandæ scilicet pacis & uniformis Doctrinæ, animo hæc fiant, eoque collineent, dubitare nullum; Ingravescenti autem hoc persecutionis Reformatorum immanis tempore consultum sibi & necessarium plane videri, omni modo cavere a controversiis & disputationibus in Ecclesia, neque totam Evangelico-Lutheranorum Ecclesiam mota hac*

con-

& Clar. D. Heidegg. Probe nobis perspectum, mentem vestram unice eam fuisse, solam fontium Hebræorum Vet. Testamenti divinam supra omnes, qualescunque sint, Versiones, Authentiam afferere & extollere. Epist. ad Minist. IV. Civit.

controversia irritandam & adversam reddendam, cum absque hoc haud levis Protestantium uniendorum affulgeat spes.

Ad quæ Illustrium Cantonum Evangelicorum responsoriæ a. d. 6. Maji 1685. scriptæ præter debitam gratiarum actionem hæc in summa habuere: *Serenissimam Ejus Celsitudinem celare se non posse nec velle, quod in certo quodam Helvetiæ loco ex nata occasione multa rationibusque non temerandis inducti fuerint, ad humanissime rogandos Verbi Divini Ministros ad ipsos Refugas, quibus Cathedram Ecclesiasticam conscendere conceditur, ut Doctrinæ in Ecclesia Helvetica inde a piis Majoribus ex Verbo Dei receptæ, Deique gratia unanimi hætenus consensu conservatæ, ante annos vero aliquot, in Formula sic dicta Consensus a Supr. Magistratibus confirmata, quadantenus elucidatæ, conformare se velint, hypotheses suas peculiare sibi servantes, easque disseminando funestis Ecclesiæ & Reipublicæ suæ disfidii materiam ne ministrarent; Cæterum ad idem sentiendum eos nullatenus adigi, in fratrum autem & membrorum Christi numero haberi; Hanc denique in Doctrina discrepantiam Protestantium Unionem exoptatissimam sufflaminare nullo modo debere, cui & quantum suarum partium sit, se nullatenus defuturos; Ut Serenissimus Elector in zelo suo nunquam satis deprædicando strenue pergat, se rogitare, atque benedictio Dei ut cæpto operi aspiret, ardentè precari. Atque hoc quidem Universæ Helvetiæ Reformatæ communi nomine fuit responsum: Basilea tamen*

ex eo tempore à Formula Consensus de-
stitit.

§. 19. Anni 1697. & 1698. natales dedere
motui secundo, qui tamen directe & proprie
Arminianismum spectabat, cujus quippe su-
specti & accusati erant aliquot multi: Exami-
ne ejus rei tum Bernæ in Supremo Senatu
Academico tum Lausannæ in ejus loci Acade-
mia primum, a Spectatissimis Supremi Sena-
tus Legatis dein suscepto, præter alia in hoc
inquirebatur, *an non neglecta Formule Consensus
subscriptio malo huic serpenti occasionem suppedita-
verit, an item quidam suspicionem haud levem in-
surrentes subscripserint, nec ne?* Examine autem
peracto, & motus hicce nonnullorum Stu-
diosorum ejectione sedatus fuit.

§. 20. Motus denique ingens obortus fuit
A. 1717. qui in annos aliquot insquentes per-
duravit. Exemplo Genevensium & Lausa-
nenses inde ab Anno 1706. Formulam Con-
sensus propria Authoritate vel plane negle-
xerant aut saltem non nisi certa cum condi-
tione subscripserant ex. gr. *Quatenus cum Ver-
bo Dei convenit: &c.* Ea de re ut & de mul-
tis aliis à personis privatis hinc inde, tandem-
que ab integris Classibus variæ profereban-
tur querelæ, quæ ad Amplissim. Magistrat-
um Bernensem delatæ, Eum ut rem perspi-
ceret eique negotio providam adhiberet cu-
ram, moverunt. Academia Lausanensis hæc
super re compellabatur, quæ prolixos admo-

dum quibus vel plenariam Form. Conf. abolitionem vel limitatam saltem subscriptionem petebat, exhibuit Commentarios. Visitatione Academiae Lausannensis à prioribus temporibus non insolita decreto statuta & peracta edictum Procerum jussit die 3. Jun. 1718. ut Formula Conf. veteri porro gaudeat auctoritate, juramentumque, quod Associationis dicitur, speciatimque Pietismum, Arminianismum & Socinianismum ferit, denuo præstandum injunxit.

§. 21. Necdum tamen ignis consopitus, sed sub cineribus ardentem ardebat, novas subinde flammam evomens. Omnis, ut negotium hoc plane desideat, movebatur lapis; Contra Formulam Conf. ut insurgerent, & exteri sollicitabantur Principes, Serenissimi Reges Borussiae & M. Britanniae, Ille quidem d. 21. Febr. Hic vero d. 10. Aprilis A. 1722. & sub idem fere tempus Corpus Evangelicum Ratisbonense ad Illustres Cantones Reformatos, Reverendissimus item Archi-Præsul Cantuariensis tum ad universam Ecclesiam Helveticam, tum ad speciales ejus in oris Helveticis notitias, literas dederunt, quibus abrogationem formulæ hujus Consensus tam atro carbone ipsis notatæ petebant his præcipue rationibus usi., i. quod ea contineat ardua, nimis, obscura, ac difficilia de Prædestinatione, quæ non solum Protestantibus Confessionis Augustanæ offendiculo, sed ne qui-

quidem ab omnibus Reformatis generatim
 admiffa ac recepta fuit 2. quod hic agendi
 modus libertati conscientiae tantis laboribus
 partae adversari omnino videatur, animis-
 que de Univerfali Gratia convictis haud
 parvos scrupulos injiciat ac vim inf rat. 3.
 Quod circumftantiis temporis hae minime
 convenient, Unionemque de profeffo fu-
 fceptam & ad confervandam Vtramque Pro-
 testantium partem summe necessariam hae
 plane succollent. Se proin fperare ac confi-
 dere, fore, ut abftrahendo ab his, nemo
 porro invitus ad praedictam Conf. Formu-
 lam adigatur, fed unice Confefioni Helve-
